



1. Abichtij s. Joh. Georgij diff. de Claudio Felice, ad Act. xx. 10. u. 29. 25. Wittenb.
2. — diff. de summa ¹⁷³² Ecclesie vere dignitate, Wittenb. 1739.
3. — diff. sistens vindicias sapientie divine circa Lapsum Adami, Wittenb. 1739.
4. — diff. de Leze Sabathi, Wittenb. 1721.
5. — diff. de fide Apostolorum tempore christi in his terris degentis, Wittenb. 1735.
6. — diff. de animabus humanis post mortem Corporis vivis, Wittenb. 1735.
7. — diff. de Inimanele ex Virgine nascituro, Lipsie 1717.
8. — Epini s. Franc. Albf. diff. apologica pro genuina Lutheri versione Germanica dicti paulini Rom. 9 in 17. Roskochi 1732.

Q. D. B. V.

APOLOGIA

PRO GENVINA LEGITIMAQVE

B. D. LUTHERI

VERSIONE GERMANICA

DICTI PAVLINI Rom. X. 17.

So kommt der Glaube aus der Predigt,
das Predigen aber durch das Wort Gottes;

QVAM

DISPVATIONE THEOLOGICA
CIRCVLARI,

CONSENSV SVMME REV. FACVLTATIS THEOLOGICAE;

SVB PRAESIDIO

FRANC. ALB. AEPINI,

S. S. THEOL. D. ET. PROF. DVCAL. PVBL.

DIE V. JVLII ANNO MDCCXXXII.

ad ventilationem publicam

propositurus est

AVCTOR ET RESPONDENS,

CHRISTOPH. GOTTLIEB**STÜDEMANN,**

Rostochiensis, S. S. Theol. Stud.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr

APPOLOGIA

PRO BENEFACTIO
R. D. HERRN
VERSIONE GERMANICA
DICTI PAVLI ROM. X. IV.
COLUMBAE DE BERNIAE ET DE STRASBURG
DUI THEOLOGO ET PASTORI

DISSERTATIONE THEOLOGICA
CIRCA ANNO
SUB PRÆSIDIO

FRANC. ALB. APPINI

CHRISTOPH. GOTTLIEB
STUBERMAN

ROSTOCKI
MDCCLXXII



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DNO. CAROLO
LEOPOLDO,

DUCI REGNANTI MEGAPOLITANO,
PRINCIPI VETUSTAE GENTIS HENETAE,
SVERINI ET RATZEBURGI,
COMITI ITEM SVERINENSI,
TERRARVM ROSTOCHII AC STARGAR-
DIAE DYNASTAE,

PATRIAE

PATRI OPTIMO,
PRAESIDIO SVMMO,
DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO,

LEVIDENSE HOC STUDIORUM THEOLOGICORVM SPECIMEN,

IN SVBIECTISSIMI CVLTVS TESTIMONIUM

ET OBSEQVII HVMILLIMI TESSERAM,

CVM ARDENTISSIMO,

pro SERENITATIS EIVS

AVGVSTISSIMA AC PERENNI INCOLVMITATE,

AVSPICATISSIMO AC PACATISSIMO REGIMINE,

PROSPERO CONSILIORVM SVCCESSV,

OMNIGENA DENIQVE FELICITATE,

VOTO,

SUBMISSISSIME OFFERT, DICAT, CONSECRAT

SERENITATIS IPSIVS

SERVVS HVMILLIMVS DEVOTISSIMVSQVE

C. G. STÜDEMANN.

PRAEFAMEN.



FX Bibliorum in vernaculam nobis linguam
versione Lutherana tantam non in Ger-
maniam solum, sed vniuersam, opina-
mur, Ecclesiam redundare vtilitatem, vt,
si nihil vnquam ei praestitisset LUTHERVS,
*vel hoc vnico translationis Bibliorum labo-
re, tanto beneficio eam affecisse iudicandus
sit, quale nullum per omnia retro secula
post coeptam Euangelii praedicationem con-
tigit, aut in posterum sperari potest,* exalciatum est, cuius solidam
praemissit rationem, Illustris quondam SECKENDORFFII, (a)
iudicium, cui quilibet, diuinum hoc opus, considerato simul re-
rum in Ecclesia tunc temporis statu miserimo, mente praedudiciis
non occupata diligenter expendens calculum addere non dubita-
bit. Huius enim versionis ope diuinus, densa & opaca nocte Papi-
stica absconditus, S. Scripturarum thesaurus hominum, quibus erep-
tus erat, oculis & manibus, vt abundanter inter eos Verbum
DEI habitare posset, restitutus est. Huius ope falsae interpretatio-
nes, quas rectius deprauationes dicere possum, textuum biblicorum
quam felicissime detectae sunt, vero ac genuino illorum sensu ex-
hibito. Huius ope multa Scripturae loca difficiliora lucem foene-
rantur, quorum sensus tam dilucide expressus, vt plurimi Viri do-
ctrina praestantes non immerito restati fuerint, ex illa tantum in-
tellectus hauriri posse, quantum ex multis aliorum Commentariis,
illamque in locis difficilioribus paraphrasticos & Commentarii ope-
ram praestare. Quibus de causis accuratiores inter versiones fel-
lulae instar eandem enitere, cum B. GLASSIO (b) confitendum
erit. Hinc quoque tot tantisque condecoratur elogiis non a No-
stris solum, sed & apertis quibusdam & professis Ecclesiae nostrae
hostibus ipsis, vt ea qui compilare vellet, grande aliquod conscri-
bere Volumen haberet. Aliquam eorum segerem collegerunt IO.
FRIED. MAYERVS, (c) GEORG. HENR. GOETZIVS (d) IO.
FRANC. BVDDEVS (e) *der Unpartheiſche Bibliothecarius.* (f.)
Ait nec defuerunt etiam, nec hodie defunt, qui sinistra de illa sentiunt,
loquuntur.

A

loquantur, scribunt, laudabilemque illam, quin nunquam *lat* laudandam in S. Bibliorum translationem a B. Viro insuntam operam vt magno cum strepitu deprimant contentiuæ exponant, nullum non lapidem mouent. Sat copiosum eorum, qui cupit. diuersarum quidem partium Catalogum, videbit apud B. MAYERVM, (g) & B. GRAPIVM. (h) Calumniæ verò, quibus eam proscindere ac conspurcare sibi sumunt, varii generis sunt, quas enumerare superuacaneum & a scopo nostro alienum foret, cui satis est, vnicam illam commemorasse, quæ reliquarum non postrema, sed omnium fere frequentissima est, Lutherum secundum proprias suas hypotheses ac præconcepas opiniones versionem suam concinnasse, quod cumprimis Pontificii, in summo illo & fundamentali, de Iustificacione peccatoris, Articulo, circa locum Rom. III. 28 vrgent, ob insertam particulam exclusiuam: *Allein*. Cuius proinde Versionis apologiam, præter LVTHERVUM (i) ipsum, Nostratium quidam (k) iis opponere, necessarium pariter ac vtile duxerunt. Similia prorsus experta est hæc versio fata quoad locum Rom. X. 17., quippe quam aequali audacia Fanatici adgrediuntur, adstant ac castigatam volunt. Quibus itaque hanc Disputationem Apologeticam, dicti illius versionis Lutheranae vindicias exhibentem, oppositam volui. Cui proposito DEVS ipse gratiam suam adspiret, ac in omnem nos omnes veritatem ducat, ardentissimis abs illo precibus peto atque contendo.

(a) Histor. Lutheran. Lib. I. Sect. 51. § CXXVI. n. 3. p. m. 205.

(b) Philol. Sacr. Lib. II. Sect. I. p. m. 352.

(c) Histor. Versionis German. Biblior. D. Mart. Luth. Cap. VII.

(d) Meletem. Annaebergens. p. 1085 sqq.

(e) Magoge Histor. Theol. Part. II. Cap. VIII. ad §. VII.

(f) Part. I. p. 23.

(g) l. c. Cap. II. IX.

(h) Disp. pro Baccal. Theol. de recent. controactis circa versionem Lutheri germ. sub Praesidio B. FECHTH habita Rostochii A. 1697. recusa Witteb. An. 1709.

(i) Tom. V. Jen. Germ. f. 161. 166.

(k) DANNHAWERVS Disp. Apologet. pro genuina B. Lutheri versione Rom. III. 28 in Fascic. Disquis. Sacr. n. I. Dn. D. REINH. HENR. ROLLIVS Disp. quæ sistit Vindicias version. Lutheri qd. l. c. *Illustr. Rom. III. 28* Trillerianis potissimum neniis opposita.

S. I.

Quod igitur praesentis Disputationis obiectum esse volumus, versionis eiusdem Germanico-Lutheranae Apologiam scripturi, Dictum, in Originali, qua Spiritus Sanctus id ipsum Apostolo scribendum inspiravit, lingua, Rom. X. 17. ita conceptum

legitur : *ἄρα ἢ πῶς ἐξ ἀκούσ, ἢ δι ἀκού δια πῦρασ Θεῶ ;* id, quod B. Megalander LVTHERVS in vernaculam nobis Germanicam transferendo reddidit : *So kommt der Glaube aus der Predigt, das Predigen aber durch das Wort Gottes.* Quam igitur illius versionem abs infrunitis vanisque Fanaticorum vellicationibus vindicaturi, haud opus fore arbitramur, ut omnes Epistolae, in qua dictum hoc exstat, circumstantias hic pensitemus. Solent equidem alioquin, qui textum quempiam Scripturae interpretandum sibi sumunt, aliam earum habere rationem, circa considerationem ipsarum, antequam dicti ipsius tractationem aggrediuntur, defudantes. Quem quoque laborem non omnino superuacuum esse, experientia docet, ipsa Commentationum istarum inspectione declarante. Ast eo breuitatis ergo penitus nobis supersedere licebit, cum ad scopum nostrum nihil eximii adferre videatur ; quandoquidem non exegetin huius dicti tradere, sed nudam duntaxat adductae versionis eiusdem germanico-Lutheranae apologiam, eam omnino Spiritus S. & Apostoli scopo ac intentioni conformem esse, demonstraturam, scribere animo sedet.

S. II.

Antagonistae, quibus haec versio vapulat, quibusque opposita est haec apologia nostra, Fanatici sunt, quorum nonnullorum ipsissima verba, in quantum necesse visum, adferenda erunt. Primus igitur in scenam prodeat, quem vtrum Fanaticum peiorem, an Indifferentistam, nuncupem? haesito, laruatus ille ELIAS PRAETORIVS, quo sub nomine CHRIST. HOBYRGIVM (a) latitare, lippis, ut aiunt, & tonforibus notum est, cuius verba (b) ita sonant : *Erhebe lieber Leser,*

Leser, dieses ist der Glaube der heutigen Prediger allerseits, welcher also seinen Ursprung hat aus ihren Predigten, von ihrer Historien, da sie von Christo her discurren, und hierzu gebrauchen sie sich des schönen Spruchs Pauli: Der Glaube kömmt aus der Predigt: Allein es ist zu wissen, 1. daß dieser Spruch nicht recht ist verteutschet, weil ~~doch~~ keine Predigt, sondern das Gehöre heisset. 2. Ist es freylich an dem, daß dieser Spruch unsere heutige Prediger im geringsten nichts angehe, weil er redet von den Gesanten und beruffenen Gottes: wer aber unsere Prediger beruffen und gesendet, wissen sie selbst wohl. 3. Ist auch in seinem rechten Verstand dieser Spruch ein recht herrlicher Spruch; denn also heist es nach dem Griechischen Texte, der Glaube ist aus dem Gehöre, das Gehör aber durch das Wort Gottes. *Quamquam autem tam ipse, quam filius (c) conquestus sit, ab aliis, infcio ac inuito Parente, nonnulla Speculo allegato inserta fuisse; nulum tamen dubium est, quin adducta propria ipsius sint verba, siquidem cum illius & communi Fanaticorum, de verbo interno, sententia exacte congruunt. Huic a latere ponam eiusdem furfuris focium, Hoburgio tanto peiorem, quanto magis malitia peruersorum ingeniorum indies crescit, Sociniani potius, quam Christiani nomine dignum, CHRISTIANVM illum DEMOCRITVM, quo sub adscititio nomine hodieque contra Christi satisfactionem insanens furit, errabundus ille IO. CONRAD. DIPPELIVS, (d) saltem ex hypothessi sua, de inefficaciâ Verbi praedicati, ac illi praeferendo Verbo Fanaticorum interno, hoc modo blaterantem: Aber was wollen wir der lieben Orthodoxie antworten auf den Ort Rom. X. 17. womit sie sich ungemein brüsten: So ist nun der Glaube aus der Predigt = = = aber weil ich einmahl hierin apostasiret = = = so will ich aus dem Schwencsfeld sprechen: Der teutsche Canon habe sich in der Uebersetzung verbanen, und den Text zu sehr nach den vorgefaßten Principiis gedeutschet. Im Griechischen stehet: *Αγα η πίστις εστι ακοη, η δε ακοη δια προπατος οεθ,*
 recht*

recht gedeyffet: So kommt der Glaube aus dem Gehör, das Hören aber durch das Wort Gottes.

- (a) Quem alia quoque nomina, vrpote *Andr. Seubersich, Christiani de Montaldo, Bernhards Baumann*, sibi nonnunquam adscinisse, cum inscriptionibus librorum abs eo in facem proreusorum, cognosci potest ex illius vitae curriculo, a Filio PHILIPPO HOBVRGIO, A. 1676. consignato & aliquoties recuso, coll. WITTENII *Diar. Biograph.* A. 1675. d. 29. Octobr. p. 631.
- (b) Im Spiegel der Mißbräuche beym Predig-Ampt im heutigen Christenthum, und wie selbige gründlich und heilsam zu reformieren Lib. I. Cap. XIX. p. 284, cui pessimae notae libro Ministerium Tripolitanum oppoluit: Warnung vor Elia Praetorii Schand-Buche.
- (c) Loco cit. p. 8 vbi verba sunt: Wiewol in dem Herzweyer unterschiedliche Gebeter hinein geschoben worden, so der Sel. Vater nicht gemacht, welches ich gnugsam beweisen kan, so es vonnöthen seyn würde, wie sie auch ebenfals in seinem Spiegel der Mißbräuche gethan, da sie viel hineingesicket, so des Sel. Vaters Arbeit nicht ist, wie er denn darüber selber in seiner Apologia praetoriana p. 382 klaget: wohin den geneigten Leser toll gewiesen haben.
- (d) In Papismo Protestant. Vapulante p. 253. (Operum sub tit.: Cröffneter Weg zum Frieden mit Gott und allen Creaturen p. 149.) de quo libro vid. *Cel. Auctores des Alten und Neuen A. 1701. p. m. 64 sqq.*

§. III.

Si quaeris causam, qua inducti Fanatici hanc versionem reiectam velint? scias, *παρωσις* *θεωδος* illorum & interesse falsam esse hypothesein, qua verbo praedicato omnem virtutem ac efficaciam diuinam spirituales effectus, illuminationem, regenerationem, conuersionem, fidem, renouationem, & quicquid cum istis coniunctum est, producendi prorsus penitusque denegant, quam vt conficto suo verbo interno potius vindicent, nullum non lapidem mouent. Qui loca aduersariorum citata enoluit, verbaque illa, sicuti in contextu fiunt, ceterasque fanaticas illorum de causis salutis nostrae hypotheses, ratione animoque lustrat, hunc illorum scopum esse, satis luculenter cognosceat. Certe, pestifera haec dogma-

ta Fanaticis omnibus communia sunt. Distinguunt enim inter verbum externum & internum, hoc, quod variis alias appellationibus, v. g. Christi in nobis, spiritus item & canonis interni, Vrim & Thummim, aurae diuinae, luminis connati & interni, scintillae naturalis, aliisque pluribus insignire solent, ita extollentes, vt, omnes in hominibus spirituales effectus per illud produci, asserere non dubitent; illud vero per quod Scripturam Sacram indigitant, quod per ludibrium verbum chartaceum, aquam turbidam, speculum externum, litteram mortuam (a) &c. nominant, ita fugillantes, vt omnes illi, quos supra diximus, abiudicent, effectus in homine spirituales, omnem illi detrahant eisdem operandi virtutem. Mentem illorum exprimit insipidus ille SCHWENCK-FELDIVS, (b) ita garruens: *Verbum externum est vox humana, sonus, littera, in qua nulla virtus diuina est inclusa, nec ad eam alligata. It. Verbum externum de interno tantum testatur, monet, excitat.* Quem strenue sequitur DIPPELIVS, (c) scribens: *Keiner kann aus, oder durch das gepredigte oder geschriebene Wort die lebendige Wahrheit erkennen, wo nicht zuvor oder zugleich in seiner Seele das lebendige Selbstständige Wort Gottes, oder Jesus Christus kräftig ist, und sich ihm offenbahret.* Et licet interdum verbo externo aliquam efficaciam adscribere videantur, illam tamen nude duntaxat significatiuam ac repraesentatiuam, seu meram testandi, suadendi ac impedimenta remouendi moralem virtutem, esse, eorum ex explicatione constat; quemadmodum de eo verba VALENT. WEIGELII (d) sunt: *Die heilige Schrift ist ein äußerlicher Spiegel, sie zeuget davon, was du seyst, schön oder greulich, gesund oder krank; sie macht dich aber nicht also, kann dir auch deine Schmerzen weder stillen noch heilen.* Ita & CHR. DEMOCRITVS: (e) *das äußerliche Wort zeuget und weist auf das innere, oder auf Jesus in der Seele, und das innere zeuget und überzenget den Zuhörer, daß das äußere Wort Wahrheit sey, so fern es aus dem Geist der Wahrheit fließet, und das selbständige Wort Gottes zum Grunde oder Archetypo hat.* Quandoquidem igitur allatum

tum dictum Paulinum verbo praedicato efficaciam ac virtutem, quoad fidei ingenerationem, tam dilucide adscribit ac vindicat, illius neruum elisuri Fanatici de verbo externe praedicato ibi sermonem esse, praefraete negant: verbum potius internum ac illius auditum intra hominem indigitari, contententes. Quod vt probent, textum graecum non expresse verbi praedicati, sed τῆς ἀκοῆς i. e. *auditus*, mentionem facientem, vrgent. Hincque Lutheri versionem per: *Predigt* reddentem rejiciunt, respuunt, quin more suo calumniis, acsi anticipatis ex opinionibus falsisque principiis promanauerit, proscindunt.

(a) Qui plura istiusmodi monstrosa, charta haud digna, diris potius aeternis deuouenda; Scripturae a Fanaticis tributa praedicata legere desiderat, adeat B. THVMIVM in *Impiet. Weigel. Error. VI* sqq. B. HVNNIVM in *Bericht von neuen Propheten Matth. III. p. 65* sqq. *Betrachtung der Paracelsisch. Weigel. Theologie Mor. VIII. p. 259. 599.* FEVERBORN. *Fascic. Dispp. Theoll. Disp. III. Th. IV. V.*

(b) *Oper. Tom. I. p. 565. Tom. II. p. 779.*

(c) *loc. alleg. p. 141. 142.*

(d) *Im goldenen Griff, Cap. X. p. 59.*

(e) *loc. cit. p. 141.*

§. IV.

Ex quibus itaque de tractationis nostrae momento ac disputationis vtilitate iudicium ferendum est. Tota sane via aberrat, qui, rem leuem minimeque frugiferam, controuersiam sc. apices vocum grammaticales spectantem, hic tractari, existimauerit. E contrario cuiuslibet ingenuo rerum iudici, rem recta ratione pensitanti, statim potius apparebit, realem & altiori dignam indagine, controuersiam, in rem maximi ponderis inquirentem, tractationis nostrae obiectum esse. Cardo siquidem ipsius non proprie circa vocabula illa: *Prebigen*, &: *Hören*; sed rem ipsam vertitur, vt nimirum verbo externe praedicato vis diuina spirituales in homine effectus operandi vindicetur. Cum enim Fanatici, allatam versionem LVTHERI increpantes, nil aliud, ceu modo diximus, intendunt, quam vt verbo praedicato virtutem istam diuinam denegent;

negent; nos e contrario illam defendentes ac stabilientes, id inuimus, vt efficaciam diuinam verbo praedicatione vindicemus. Certe tantum abest, vt illum pretiosissimum omnemque aestimationem excedentem thesaurum, quo nomine verbi praedicationem iure afficimus, a falsis doctoribus fugillari aut nobis eripi patiamur, vt potius, qui summa cura diligentiaque illum custodiamus & ancipiti veritatis gladio aduersus impios aduersariorum conatus defendamus, nos etiam atque etiam censeamus obstrictos. Hoc enim benignissimus DEVS largitus nobis est medium ac organon salutiferum, per quod illuminatio, Eph. III. 8. 9, conuersio, Act. XXVI. 16. 17. 18, ipsa salus aeterna, Rom. I. 16, I Tim. IV. 16. &, vt paucis dicam, omnes effectus ad salutem nostram ex ordinatione diuina tendentes, Eph. IV. 11 sqq. produci debent. Quodsi itaque, hoc reiecto, aliud a DEO non ordinatum vel promissum medium quaereremus, & turpissimam ingrati erga DEVM animi notam incurreremus, & in finestum ac perniciosissimum nos coniceremus exitium. Quapropter grata potius mente sanctissimum illud medium accipere, tanquam dulcissimum solatii fontem sancte custodire, aduersariorumque facra illius inquinandi audaciam retundere ac repellere nos decet. Quorsum etiam palmarius noster, nobis in hac dissertatione praefixus, scopus tendit.

S. V.

Antequam vero propius thema pertractandum adgrediar, haud absque utilitate futurum videtur, nonnullorum aliorum dicti huius versiones adferre, quo vel consensus earum cum nostra dispalleat, vel, ab ea si forte verbis discrepent, inquiratur, num etiam sensum secum ferant a Lutheri versione diuersum? Sunt enim interpretes qui, sensum potissimum respicientes, ipsissimam, quam Lutherus expressit, vocem praedicationis, siue *Predigt*, retinent. Sunt &, qui, rationem verborum magis adstrictam habentes, per *audium* s. *Gehör* vertunt. Priorem ad classem primum referendae sunt editiones Bibliorum, in quibus Lutherana versio alia in idioma translata,

translata, veluti quae in lingua Saxoniae inferioris eam expressere, quotquot euoluere licuit, omnes ita habent: So kumpt de Geloue uth der Predige, dat Predigem oberst dorch dat Wort Gottes. Sic & Belgica, in vsum Ecclesiarum inuariatae Augustanae Confessioni addictarum edita: (a) So komt het geloof uyt de Predikingen en de Predikingen door het Woord Gods. Deinde huc pertinet, e Caluino-Reformatis, JO. PISCATORIS, quam & exhibent Biblia Germanica Pentapla, (b) ita sonans: So (kommt) nun der Glaube aus der Predigt, die Predigt aber durch das Wort Gottes. Classen posteriorem constituunt pleraeque quidem, quarum ex magno numero primum aliquot, e praecipuis quae sunt, Latinas adducemus. Et has inter antiquiori, quam *Vulgatam* vulgò vocare solent, priorem dabimus locum, in qua Textus noster ita translatus legitur: *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* (c) ERASMVS similiter & BENED. ARIAS MONTANVS reddiderunt: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum DEI; nisi quod iste ellypsin verbi: est per appositum rō est* sustulerit, hic vero particulam *de* per *at* exprimere maluerit. Eadem est & versio BEZAE, quam SEB. CASTALIO his exprimere voluit verbis: *Ergo fides est ex auditione; auditio autem ex diuina oratione.* Sed & nostras SEB. SCHMIDIUS interpretatus est: *Quare fides ex auditu (est): auditus autem per verbum DEI.* Gallicas praecipue duas adferemus: alteram (d) ita reddentem: *La foy donc est par ouïr, & l' ouïr par la parole de Dieu.* A quanon recedit JO. DIODATI (e) translatio, nisi quod verbum in substantium commutauerit, hunc in modum: *La foy donc est par l' ouïe, & l' ouïe par la parole de Dieu;* alteram (f) cum paraphrasi dictum hoc exhibentem: *La foy donc vient de ce qu' on a ouï; & on a ouï, parceque la parole de JESUS CHRIST a été preschée.* Hancque translationem Gallicam in editione Noui Testamenti, cum Annotationibus suis editi retinuit PASCASIVS QVESNEL: quapropter etiam illa, cum hoc in vernaculam nostram transferretur, ita germanice legitur: *Der Glaube kommt also von dem, was man*
B
gehört

gehörret hat: und man hat gehöret, weil das Wort Jesu Christi geprediget worden ist. *Anglicana Versio est: So then, said cometh by hearing, and hearing by the Word of God.* Et Belgica Reformata, consilio Synodi Dordracenae & auctoritate Praepotentium foederati Belgii Ordinum adornata: (g) So is dan het Gelove uyt het Gehoor, ende het Gehoor door het Wort Godts. Tandem vt & Germanicas quasdam addamus versiones, adest Romano-Catholica a CASP. VLENGERGIO adornata, in qua dictum nostrum sic legitur: Also ist der Glaube aus dem Gehör, das Gehör aber durch das Wort Christi. Sunt & Protestantium quaedam recentiores (h) vtpote JO. HENR. REITZII: So ist dann der Glaube aus dem Ruff, der Ruff aber durch das Wort Gottes. Deinde & CASP. ERN. TRILLERI: Derhalben ist der Glaube aus dem Gehör (aus der Anhörung) die Anhörung aber durch das Wort Gottes. Quas heic excitasse suffecerit, vt ne plurium allegatione taedium fortassis Lectori creetur.

(a) Impress. Amsterd. 1700.

(b) Wandesbecii prope Hamburgum ed. An. 1710.

(c) Allegamus hic editionem, quae nobis in promptu, vetustissimam, Norimberg. per Ant. Coburger 1480. Cuius cum aliis exemplaribus collatae nullam ab illis differentiam inuenire datur, nec ibi quidem, vbi Textui Originali graeco variantes, vti mox notandum, lectiones irrepserunt.

(d) edit. Genev. 1570.

(e) Les Epistres des Saints Apostres Amsterd. 1667.

(f) Iuxta Vulgatam editionem, a Mons 1688.

(g) Cuius historiam plenius contextam exhibuit Auctor descriptae vitae ANTON. WALAEI, huius Operibus praemissae a GVIL. BATESIO, seorsim etiam exhibitae, & cum aliorum nonnullorum Reformatorum vitis a IOCHIO cum sua praefatione An. 1707. editae, huius edit. p. 145 sqq.

(h) De quibus legi meretur ZELTNERI Dissert. Theol. de nouis Bibliorum Versionibus germanicis non temere vulgandis.

S. VI.

Circa has autem iam allatas Versiones notamus differentiam, cum aliae legunt: per verbum *DEI*, aliae: per verbum *Christi*.

Christi. Id quod fieri constat ob variantes ipsius Graeci textus lectiones, dum nonnulla exemplaria habent: *ὁ δὲ ὁμιλου τὸ Χριστῶ*, vt ex ERASMI, HENR. STEPHANI, JO. MILLII, lectiones variantes exhibentibus N. T. editionibus, apparet. Nobis tamen id idem est, licet contra Fanaticos argumentum, saltem hypotheticum, exinde peti posset, si obtineret lectio: *per verbum Christi.* Tum enim exspiraret falsa eorum interpretatio, verbum internum, quod sit ipse Christus in nobis hic intelligi. Quodsi enim est verbum Christi, non est ipse Christus: siquidem verbum cuiusdam profus aliud est ab illo, cuius est verbum, quoniam differunt vt causa & causatum. Vltcrius obseruamus, illos allegatos interpretes, qui locum nostrum per *auditum*, germanice *Gehör*, reddunt, verbo quidem a nobis alio vti, sensu tamen nobiscum conuenire, & auditum verbi praedicati intelligere. Id quod non solum ex reliqua ipsorum de verbi scripti necessitate, vilitate, virtute & efficacia, doctrina sole in meridie clarius elucet, sed etiam ex eo patet, quod nonnulli eorum, hanc ipsis mentem fuisse, in ipsa huius dicti translatione haud obscure indigunt. Sane Interpres Gallicus, qui que Quesnellianum laborem e Gallico in Germanicum conuertit sermonem per verba: *parce que la Parole de Iesus Christ a esté prechée &: daß das Wort Christi geprediget ist*, vt pote quibus, expresse praedicationis mentionem faciunt, animi sui sensa satis aperte produnt. Mentem vulgati eodem redire declarat TIRINUS *τὸ: per verbum Christi;* hoc modo explicans: *per praedicationem de Christo, quae commissa est Apostolis & apostolicis Viris.* (a) ERASMI quoque versionem ab hoc non recedere ex collatione Paraphraseos ipsius patet, vt pote quae hanc dicti huius Paraphrasticam expositionem exhibet: *Porro fides concipitur in animo non per experimenta, sed per Apostolorum praedicationem, h. e. non per oculos concipitur, sed per aures, per quas in animam obedientem transfunditur Euangelium Christi.* Idem & TRILLERUS in sua versione per Vocem: *Anhörung*, intendisse praesumi potest, quandoquidem germanice, *jemandes Verlangen*, item, *eine Predigt anhören* dicimus. Sed

& REITZIVS, etiamsi noui quid attulisse forsan videri voluerit, idem tamen cum Luthero nostro & Piscatore suo expressit verbo *Ruff*, quod quoad rem idem sonat, quod *Predigt*, cum id: *Ruffen* de Praedicatoribus verbi germanice dicatur, vt v. g. *Jes. LII. 8. deine Wächter ruffen laut mit ihrer Stimme.* Cap. LII. 1. *Ruffe getrost.* Et Joannes Baptista in quibusdam Germanicae nostrae versionis exemplaribus dicitur *eine Stimme eines Ruffers in der Wüsten, Io. I. 23.* cum apud reliquos Euangelistas, *Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4.* saltem quoad plurimas editiones, in eadem legatur: *Stimme eines Predigers, quae ergo pro synonymis habentur.*

(a) Comment. in S. Scr. h. l.

§. VII.

Quibus praemissis, ad rem ipsam iam accessuri, ne aërem feriamus, aut andabatarum more pugnemus, statum controversiae praemittamus, conueniens erit. Sicque praenotamus, non esse quaestionem: An vox *ἀκούη* immediate significet *praedicationem* s. *Predigt*? Hoc enim prorsus imus inficias, immediatamque ipsius ac propriam significationem esse: *Gehör*, vltro largimur citroque, cum nemo facile tam infrunitae mentis praesumi queat, istud affirmare qui ausit. Sed quaeri: Anne vox *ἀκούη* h. l. denotet: ein *Gehör* des gepredigten Worts, atque sic per metonymiam causae pro effectu; *Predigt*? Cui quaestioni affirmatiuam subuectimus responzionem. Quippe inter alias improprias & metonymicas, in quibus id ipsum vocabulum in Scriptura occurrit, significationes, (a) etiam haec haud infrequens est, qua sumitur *pro rebus auditis*, & quidem a) *pro rumore & fama*, vt *Matth. IV. 24. XIV. 1. Marc. I. 28.* praesertim *Matth. XXIV. 6.* (b) β) *pro praedicatione* s. verbo quod praedicatur, vt *Gal. III. 2. (c) 1. Theff. II. 13.* Quae vltima significatio etiam h. l. huic vocabulo inest, vt denotet auditum verbi praedicati, & pro sermone, qui auditur, positum sit. Praedicatio enim & auditus se respiciunt vti relata: relata autem sunt simul natura. Sic scribit LEIGHIUS: (d) *Dicitur Rom. X. 17. passiuè sumitur pro sermone, qui ab auditore accipitur ex loquentis ore.* Non quidem improbamus eos, qui *Gehör*

hęc transferunt, dummodo verum relinquunt sensum; auditum verbi praedicati intelligendo. At enim vero etiam, qui *Predigt* vertunt, mentem Spiritus Sancti optime expriment, maiorique fere cum emphasi. Hinc firmum stat: *Lutherum vocem ἀνοχῆς, Rom. X. 17. extantem, menti Spiritus S. conuenienter ac emphatice prorsus per Predigt reddidisse.* Id quod iam probandum, vnaque ab obiectionibus & exceptionibus aduersariorum vindicandum nobis erit.

- (a) Conf. FLACH Clau. Script. Part. I. Voc. *auditas* p. m. 62. & RAVANELLI Biblioth. Sacra Part. I. p. 267.
- (b) Maxime notatu dignus est locus Matth. XXIV. 6, vbi Vulgatus quidem interpres vocem ἀνοχῆς per: *opiniones bellorum* reddidit, ast minus recte; quia, non meras bellorum opiniones, sed vera, cruenta & atrocita illa bella fuisse; Iudaei luculentissimum, licet tristissimum, perhibere testimonium possunt.
- (c) Locum hunc itidem deprauare student Fanatici, ἀνοχῆν πίστεως male per *Predigt vom Glauben* verti, & potius auditum verbi interni intelligendum esse, blaterantes. Ast Apostolo de auditu verbi praedicati, quod tam ratione obiecti, quam ratione finis & effectus verbum fidei audit, sermonem esse, ex textus cohaerentia & collatione Cap. I. 8, cum 23, apparet.
- (d) Critic. Sacr. N. T. p. m. 12. (not.)

§. VIII.

Argumenta verò, quibus, Lutherum dictum hoc rectè, i. e. intentioni Spiritus Sancti congrue, ac totius tractationis scopo conformiter, in versione sua Germanica expressisse, probetur, meditatione multa vel operosa conquisitione opus adeo non habent, vt cuiuslibet vltro, tanta quidem in copia, se offerant, vt de illorum sterilitate conquerendi causa nulla relinquatur. E quibus igitur, vt aliquis saltem eorum obseruetur ordo, PRIMUM ab occasione ac scopo dicti repeto, probe considerans, accuratam scopi & occasionis scribentis obseruationem tantum ad sensum feliciter eruendum facere; vt, eam qui negligit, verum, quem inquirit, sensum aegre assequi queat. (a) Non erit autem, vt remotam effati Apostolici occasionem e longinquo repetam, ideoque commemorem, Paulum

lum Judaeos convincere voluisse, causam reiectionis eorum, assumtis iam in populum suum Gentilibus, non penes DEum esse, sed in eis ipsis residere, propterea, quod iustitiam ex lege quaerentes, in Christum, promissum illum per Mosen & Prophetas Messiam, iam nunc exhibitum, credere noluerunt, in quem tamen credere potuissent, tanquam adeo clare in V. T. ipsis ob oculos positum, in Evangelio de iustitia fidei in Christum ipsis a Mose ac Prophetis annunciatum, ceu variis, ex illis depromtis, argumentis demonstrat. Id quod solide non minus ac perspicue deduxit Theologus Celeber. Dn. D. LOESCHERVS. (b) Sed vt, remotioribus istis omis- sis, proximam proferendi dicti nostri Apostolo enatam indicem occasionem, retrospectiendum est ad v. 9. & 12, quibus quasi thesis ponitur, quam in praecedentibus subinde jam inculcauerat: Non esse personarum in Oeconomia salutis apud DEum respectum aut diuersitatem quandam; sed, sicuti Iudaei pariter ac Graeci seu Gentiles peccatores sunt; ita hos non minus ac istos per Christum in Evangelio propositum & oblatum fide- que apprehensum iustificari, vt sine eo non Iudaei magis, quam Gentiles, saluari queant. Hunc enim vnicum esse, at omnium omnino tamen, Saluatorem, per quem, credentes in eum, siue Iudaei sint siue Graeci, salutem obtinere possint. Manifestum quidem satis est, praesertim ex Cap. IX. 30. sqq. X. 2. 3. Paulum Iudaeos veram docere voluisse causam re- iectionis suae, quod nimirum incredulitas eorum sit, ceu su- pra diximus; at simul etiam ostendit, cum in Christo solo sit salus, Joh. XIV. 6. Act. IV. 12. ipsos, in illum si crederent, eandem obtinere posse, sicuti Gentiles in eum credentes obti- nent. (c) Sic enim v. 9. *Quodsi confessus fueris, inquit, ore tuo Dominum IESUM, & credideris in corde tuo, quod DEVS ipsum resu- scitauerit ex mortuis, futurum est, vt salueris.* Atque hinc v. 12. pergit: *Non enim est discrimen & Iudaei & Graeci: idem enim Do- minus omnium, diuitias dans in omnes, qui inuocant ipsum.* Id quod iam confirmaturus allegat Dictum Joël. III. 5. vel Cap. II. 32. *Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini, saluabitur.* Vt ne vero quis

quis arbitretur, solam hinc, quae ore fiat, inuocationem sufficere; idcirco, sicuti iam v. 9. confessionem oris & fidem cordis coniunxerat, ita nunc apertius v. sequ. 14. declarat, inuocationem sibi intelligi fiducialem, seu a vera fide profectam & cum fide coniunctissimam; indeque per gradationem, causas cum effectibus coniungendo, progreditur, a fide ad auditum, ab auditu ad praedicationem, & a praedicatione tandem ad Verbum DEI, quod obiectum est praedicationis. Pro isthac igitur occasione ac scopo, dum ab inuocatione ac fide ad praedicationem Verbi diuini in serie caussarum & effectuum Apostolus progreditur, vnde per retrogradationem, eandem ob connexionem rerum, a Verbo ad praedicationem, a praedicatione ad auditum, ab auditu ad fidem, a fide ad inuocationem, concludendum; quemlibet, autumo, praeiudicii non occupatum perspicere, mentem ac intentionem Scriptoris Translatorem, B. LVTHERVUM, optime aptissimeque expressisse: So kommt nun der Glaube aus der Predigt, das Predigen aber durch das Wort Gottes.

- (a) Regula illa HILARII Lib. IV. de Trin. *Intelligentia dictorum ex causis dicendi haurienda*; quam diligentissime abs omnibus exegetis Sacrae praecepta tradentibus sedulo inculcatur. Conf. DANNHAWERI Hermen. S. p. 357. & PFEIFFERI Thesaur. Hermen. p. 395.
- (b) in Evangel. Math. 23. Part. I. p. 32. 33.
- (c) Prorsus aliam viam hic ingrediuntur JO. COCCEIUS *Comment. in h. l. Opp. Tom. IV. p. 535.* CHRISTOPH. WITTICHIUS *in Meta. Alex. s. Inuestigatione Epist. ad Rom. h. l.*, Paulum in hoc Capite a v. 1. veque ad finem potissimum de vocatione gentium agere, & hunc versum 17. conclusionem inferre: *gentiles & credidisse & inuocare nomen Domini, iuxta praedictionem diuinam.* At haec sententia coacta est & ex contextu probari nequit; quamobrem & in ea refutanda prolixum non ero. Nec enim obstat vniuersalitas verborum v. 10. 11. 12. Licet enim non negem, ex illa gentilium vocationem probari quodammodo posse, nihilo tamen secius haud leue ex connexionem indicium elucet, palmarium Pauli scopum in his verbis non fuisse gentilium vocationem probare, sed potius ex illa vniuersalitate argumentum petere pro probanda thesi; Nemi-

Neminem iustificari saluarique sine fide in Christum; Gentilium aequae ac Iudaeorum vnicum Salvatorem, DEum & Dominum. Adeoque sub hac vniuersalitate Iudaeos quoque comprehendendi.

§. IX.

SECUNDVM, id idem euicturum *argumentum* suppeditat ipse textus, verbum scilicet illud, ex quo auditus, perque cuius auditum fides oritur, verbum externe praedicatum esse, manifesto prodens, adhibito vocabulo *ῥῆμα*, quippe quod verbum prolatum atque vocale designat. Obseruatur quidem vocis *ῥῆμα* homonymia quaedam, siquidem, vt alias, apud alios videndas, eius significationes silentio praeteream, aliquando per Metonymiam adiuncti, seu signi pro re signata, more Hebraeis, quibus *דבר* interdum pro re ponitur, vilitate, *rem verbis propositam*; (a) alias vero, & quidem formaliter proprieque, *verbum, vocabulum, dictum, sententiam* denotat. Ast non metonymicum illum, sed proprium hic obtinere significatum illius, probatione non indiget, quippe quod extra controuersiam positum est, nec ab ipsis Fanaticis negatur. Id vero controuersiam mouet, quodnam verbum: vocalene, an substantiale hic indigitetur? Nos prius, vocale nimirum, nulli dubitamus asserere, vt per *ῥῆμα τὸ θεῶν* hic intelligatur verbum diuinum viris *ἑσπερευσεως* reuelatum & ab illis litteris consignatum, nunc libro Scripturae canonico comprehensum, quod & ipsi praedicaunt, 2 Petr. I. 21, vult exemplo suo Paulus comprobare, Act. XXVI. 22. Et quidem verbum Evangelii. Dixerat enim Apostolus, fidem ex auditu; auditum autem ex verbo DEI esse, mox addit. At fides non per legem, sed per Evangelium accenditur, siquidem lex condemnat, Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. & iram operatur, Rom. IV. 15., Evangelium autem gratiam offert ac confert, tanquam potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. I. 16. (b) Non autem absque praegnanti ratione verbum vocale, minime vero substantiale, hic intelligendum censemus. Filius enim DEI, verbum illud substantiale seu personale, nunquam in Scriptura Sacra *ῥῆμα* audit, sed, quando

do nomine *Verbi* afficitur, semper in Fonte vox *λόγος* inuenitur. Non quod *λόγος* in diuinis litteris semper & vbique Verbum hypostaticum denotet, quin potius saepissime quoque significet verbum vocale, externe vel ore vel scriptis prolatum, id quod loca Matth. XV. 23. Io. XVII. 17. 1 Theff. IV. 15. aliaque affatim testantur. At vero vocem *ῥήματος* nullibi Scripturarum de Verbo substantiali occurrere, quemuis, omnia diuinarum Scripturarum, hanc vocem exhibentia, dicta sanis rectisque mentis oculis inspicientem, inspectio satis superque docebit. Hinc iustam eruditorum correctionem & censuram effugere non potuere Patres nonnulli, AMBROSIVS ac BEDA, (c) qui, a vetere Interprete in hanc sententiam forsan inducti, per vocabulum *ῥήμα*, Luc. II. 15. Christum ipsum, cuius tam natiuitatem Angelus Pastoribus Bethlemiticis annunciauerat, intellexerunt, cum tamen omnes circumstantiae loquantur, illud ibi per: *rem* ipsam, quae contigerat, *factum*, quod Angelus edixerat, aut cum LVTHERO: *Geschichte*, reddendum esse, HEINSIO (d) bene notante. Quandoquidem ergo vox: *ῥήμα*, verbum, non hypostaticum, sed prolatum ac vocale notat, Apostolus autem auditum esse, non *διὰ τῶν λόγων*, sed *διὰ ῥήματος* Θεῶν, dixit, quis, nisi cui natura sanos mentis oculos denegauit, non videt, in Textu nostro designari auditum verbi prolati & externe praedicati, proindeque versionem nostram Lutheri Germanicam Spiritus S. intentioni quam convenientissime locum hunc ita reddidisse, vt intelligatur auditus verbi praedicati, sensu integro huc redeunte: *Der Glaube komme aus dem gepredigten Wort*

(a) Conf. praeter PASOREM h. V. p. m. 585; LEIGHIVM Crit. S. N. T. Voc. *ῥήμα*; aliosque Lexicographos, HEINSIVS in Exercitatt. Sacr. ad N. T. Lib. III. Cap. I. ad Luc. I. 29. p. 126.

(b) LVTHERVS Tom. VI Altenburg. p. 969 graphice ita scribit: Hier muß man definiren und eigentlich wissen zu unterscheiden, welches solch Wort sey. Denn das Gesch. ist auch Gottes Wort, aber durch dasselbe spricht Paulus zum Gal. III. wird der heilige Geist nicht gegeben, sondern durch das Wort vom Glauben, oder des Evangelii.

C

(c) Quo-

(c) Quorum verba vide apud THOM. AQUINATEM in Enarrat. in IV. Euangel. h. l. f. 175.

(d) Exercitt. Sacr. in Nov. Test. Lib. III. Cap. II. ad Luc. II. 15.

S. X.

Quod argumentum etfi tantae fit euidētiaē, vt sententiam contrariam omni probabilitatis specie priuet, excoecata nihilo fecius Fanaticorum cohors vt illud eludat, *πρωτο* suo *ψεδει* pertinaciter inhaerens, etiam hoc loco Verbum internum, Christum in nobis, non obstante hoc vocabulo *ρηματος*, intelligendum esse, propugnare fatagit. Sic enim Quakerorum ille doctissimus, ROB. BARCLAVIS, (a) pro suo interno, homines, qui veniunt in mundum, omnes illuminante, Verbo, i. e. Christo, vt omnem illi soli virtutem & efficaciam diuinam spirituales effectus in nobis operandi vindicet, nostrum hunc locum allegans: *Nam fides*, scribit, *fit ex auditu, auditus autem per Verbum DEI, quod in hominum cordibus possum est, vt sit pro DEO testis, quo homines ad DEUM reducantur per fidem & poenitentiam.* Et DIPPÉLIVS f. CHR. DEMOCRITVS (b) non considerata genuina *τὸ ρήματος* significatione, hunc quoque locum ad verbum hypostaticum, detorquet, quin, velut argumento *κατ' ἀποστολον* vsurus, eum ipsum nostram sententiam debellare, saltem ex Schwenckfeldii sui mente, ostendere, allaborat. Scribit enim: Wenn die Seele des Herrn Stimme durch die äußerliche Predigt, oder auch ohne dieselbe, in sich höret, der ihr seine Liebe und Treue zu schmecken giebet, sie züchiget, führet, und aus ihrem Verderben zu sich locket, so giebt sie in Gelassenheit Besfall, und folget ihrem Seelen-Hirten. Dieses ist der Glaube, und so ist der Glaube aus dem Gehör. Das Hören aber, wie der Apostel spricht, durch das Wort Gottes. Wenn nemlich dasselbe kräftig an die Seele erget. Solte aber hier das Wort *αὐστη* die äußerliche Predigt heißen, so hat sich die Orthodoxie selbst übel eingewickelt und gefangen, indem also die Predigt von dem Worte Gottes, als effectus von der causa unterschieden wird, da es heißet, die Predigt kommt durch das Wort Gottes. Ist derowegen nicht selbst das

das Wort Gottes, sondern kommt durch dasselbe. Wer nun das lebendige Wort Gottes nicht in ihm hat, der kann nicht predigen. O wehe dem Ministerio! Sed vana haec est Fanatici iactatio, quando, Orthodoxos se multis intricasse difficultatibus, quasi triumphum de illis acturus, asserere non dubitat. Pessimum potius ipse Philosophum egit ita ratiocinatus: Si praedicatio est per verbum DEI, sequitur, quod non sit verbum DEI, quia differunt vt causa & effectus. Vt enim non dicam de pueris ipsis non ignota Metonymia causae pro effectu, & effectus pro causa; quilibet consequentiae huius falsitatem animaduertet. Non quidem inficias imus, differentiam hic quandam intercedere; ast ea gradualis tantum est, qua praedicatio non in illo summo gradu, quo Canon Scripturae a Viris Θεολογούσις ex immediata Spiritus S. inspiratione in linguis Orientalibus consignatus, verbum diuinum est; est tamen secundum rem & sententiam idem verbum. Necessum etenim est, idem esse ac manere DEI verbum, siue primum ab ipso immediate inspiratum, siue e Scriptura Sacra ab ipso inspirata depromptum sit, siquidem modus communicandi rem non variat aut essentiam eius immutat. Sicuti Principis idem mandatum est, siue ab eo ipso immediate prolatum, siue deinceps a Ministro promulgatum, aut a typographo typis exscriptum. Et licet praedicatio non sit verbum DEI formaliter consideratum; est tamen materialiter acceptum. Id enim, quod praedicatur, idem est verbum DEI, quod in Scripturae codice comprehensum & expressum exstat. Quamobrem fatilis etiam est DIPPELI exceptio: Denn daß sie vielleicht wolten einwenden, wie sie sonst gewohnet sind, das Wort Gottes heisse hie der Canon, oder die Viebel, aus welchem die Predigt müsse genommen werden, wäre gar absurd, indem da zur Zeit der Canon adaequatus noch nicht geschrieben, und die lieben Aposteln ganz nicht aus dem altem Geses und Zeugnis, sondern aus dem lebendigem Wort und Geist Christi geredet. Bona verba quaeso! Thesis, quam vt absurdam rejicit Fanaticus, minime allatis illis argumentis labefactatur.

Duo adducit ad labefactandam sententiam nostram ; sc. quoniam 1) tunc temporis Canon adaequatus nondum litteris consignatus fuit, 2) Apostoli non ex V. T. libris, sed ex vivo DEI spiritu & verbo locuti sunt; quod autem utrumque tam infirmo nititur tibicine, vt facile sine expugnatione multa corruat. Nam ad prius quod attinet, non quidem negamus, Paulo haec scribente, nondum omnes Scripturae N. T. libros litteris consignatos fuisse; interim tamen omnino canon eate-nus adaequatus jam adfuit, quatenus sufficiens ad salutem erat omnibus, qui tum temporis solis lucem adspexerant. Nam non legem tantum, verum etiam Evangelium jam in ipso V. T. scriptum fuisse, vel in ipso hoc Capite Paulus Iudaeos prolixè edocet. (c) Nec posterius quidquam in recessu habet, quoniam tam falsum est, quam quod falsissimum, Apostolos prorsus non ex veteri lege & testimonio praedicasse. Certe quisquis varia illa Veteris, in Nouo T. allegata dicta, (d) cuius rei luculentum ipsissimum nostrum Cap. X. ad Romanos testimonium perhibere potest, intuetur, non potest non fateri, Apostolos ex V. quoque T. praedicasse. Quid? quod ipse Paulus hoc expresse testetur Act. XXVI. 22. & propter idem utrobique reuelatum Euangelium eundem vtriusque Testamenti fidelibus salutem aeternam obtinendi modum adscribat Act. XV. 11. coll. Cap. IV. 12. Juxta quae tamen omnino concedendum est, Apostolos immediata Spiritus S. inspiratione gavissos fuisse; qui vero ab illis ad nostra tempora concludere vellet, haud leuiter erraret. Vt itaque remaneat ab Apostolo per *prima* verbum DEI vocale, quod litteris iam consignatum & obiectum praedicationis est, designari, siue, pro re nata & occasione, concionatores ipsissima retineant Scripturae verba, siue verbis quidem aliis, eundem tamen verum eiusdem sensum eloquantur.

(a) Apolog. Christ. Theol. ad Theol. V. & VI. p. 105.

(b) F. p. primo Protestant. Vapul. Opp. p. 150. 151.

(c) Evangelium quoad substantiam, quantum ad aeternam salutem sufficiens, in V. quoque T. extitisse, probant B. RHAW. Theol. Polem. Lib. Controu. ad S. Anthropol. Lib. I. Centur.

IV. Qu. II. p. 281. sqq. B. NEVMANNVS Theolog. Aphor. L.
de Euang. Aphor. XIX. p. 522. alii.
(d) de quibus vid. ANDR. KESLERI. Praefide JO. MAJORE hab.
Disp. Inaug. de Distorum V. Testam. in Nov. Allegatione, JO.
CHRISTOPH. PFAFFII Diff. de Allegatis Vet. Test. in Nouo
Tabing. 1702.

§. XI.

Sed antecedentia quoque pro genuina dicti huius ver-
sione nostra Germanica illustre plane, quod TERTIVM est, sug-
gerunt *argumentum*. Ostensurus enim Apostolus, inuocatio-
nem Nominis Domini, ab eo, qui saluus fieri cupit, ex fide &
& a fide provenire debere: nam sine fide DEO placere impos-
sibile est Ebr. XI. 6; statim etiam docet, quaenam causae fi-
dei sint, a quibus ea & oriatur & dependeat, ab effectu sem-
per ad causam, vna in serie, donec ad primam peruenerit,
progressus. Sicut igitur prima gradationis, quâ vsus est, parte:
Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? innuit, veram
inuocationem absque fide fieri haud posse: cum nemo, ceu
par est, inuocetur, nisi in quem exauditionis fiducia colloca-
tur; ita, quoniam fides naturae vel rationis lumine, quippe
quod illud sublime Euangelii mysterium capere nequit, haud-
quaquam incendi potest, auditionem, ex qua innotescat, sup-
ponit, quod secundum est gradationis membrum: *Quomodo
autem credent ei, de quo non audierunt?* At vero apud homines
auditum ad fidem non esse, nisi Euangelium de Christo iis
annunciatur ac praedicetur, tertia gradationis pars: *Quomodo
audient sine praedicante?* luculenter edocet, quae non actum so-
lum, sed ipsam etiam possibilitatem auditionis sine praedican-
te negat. Juxta consuetum enim Scripturae loquendi modum,
verba actionem vel effectum notantia, non raro facultatem
& potentiam agendi significant, atque per: *possunt*, exponenda
veniunt. Quam regulam vt in multis aliis Scripturae locis, sic
& in hac gradatione Paulina obseruandam esse, optime moxet
B. SAL. GLASSIVS. (a) Quoniam igitur quaestioni affirmati-
uae prolatae, negatiua respondet propositio, hic sensus emer-
gat, necesse est: Nemo potest inuocare Nomen Domini, qui
non

credit in eum: Nemo autem potest in eum credere, qui de eo non audiuit: Nemo vero audire de eo potest sine praedicante. Sic ergo fides auditum; auditus autem praedicatorem praesupponit, adeoque fides ex auditu praedicationis est ac prouenit, consequenter praedictio auditu percepta fidem gignit. Si vero, iuxta mentem Apostoli, fides ex auditu est, & auditus ex praedicatione, quid, quaeso, remanet in Lutheri Versione culpandum, cum locum nostrum reddidit: *So kommt der Glaube aus der Predigt?* Nam immediatam quidem fidei causam, auditum Paulus pronunciat, auditus vero causam esse praedicationem, quam igitur & fidei causam esse oportet, quantumuis mediatam, secundum communi consensu probatam, & in dependentiâ causati a causis fundatam regulam: *Causa causae est etiam causa causati.*

(a) Gramm. S. Tract III. Cap. V. p. m. 244 sqq.

S. XII.

Et hætenus quidem facile nobiscum consentient, contra quos de cetero defendenda nostra versio est, Fanatici, fidem ex auditu esse, auditum autem praedicantem praesupponere, non inuiti concedentes. At quando iam quaeritur: quisnam ille sit, qualisue praedicans audiendus, unde fides oriatur? coegunt illi profecto praedictis, aut, si mauis, somniis suis excoecati, errori suo, non alium illum, sine quo auditus & fides ab eo pendens esse nequeat, praeterquam internum, quem fingunt, praedicatorem, internum illum spiritum, lumen illud internum, Christum in nobis, & quod audiendum verbum, internum esse, pertinaciter inhaerentes. Sic enim ROB. BARCLAIVS, (a) quem vnus hic excitasse sufficiat, posteaquam IESUM Christum vniuersale ac salutiferum lumen, idque, quod praecipue probare voluit, omnibus hominibus infitum ac internum esse, prolixè disputauerat, vltèrius id ipsum confirmaturus, ad nostrum prouocans locum, scribit: *Hoc, lumen scilicet atque verbum internum, adhuc fuscus illustrat Apostolus: 1o ad Rom. ubi declarat verbum a se praedicatum (verbum autem quod praedicabat & Euangelium quod praedicabat, & cuius erat Minister, vnus plane idemque erat)*

erat) non longinquum esse, sed prope in ore & in corde: Et tunc quasi aduersariorum obiectiōem proponit v. 14. 15. quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante? Huic respondet versu 18. Sed (inquam ego) annon audierunt? Immo vero in omnem terram exiuit sonus eorum & ad vltima orbis terrarum verba eorum. Ex quibus liquet, diuinum hunc praedcatorem in omnium aures & corda sonuisse: nam de Apostolis & eorum discipulis dictum illud minime fuisse verum. Nam nec tunc nec multa post secula, immo non certum est, quin adhuc magnae & spatiosae nationes & regna sint, quae nunquam de Christo nec de Apostolis eius audiere. Internum hoc potens DEI verbum adhuc copiosius describitur in epist. ad Hebr. Cap. IV. 12. 13. Sed & DIPPELIVM non aliud verbum, non alium hic intelligere praedicantem, quilibet fundamentalia illius placita non ignorans conicere potest, & sicut ex contextu, ita & ex aliis eiusdem postmodum allegandis manifestum fiet. Quare nec illius, nec aliorum adducere verba, in re tam manifesta, consultum operaeque pretium ducimus, superuacaneum id fore, potius, atque Lectori taediosum, arbitrati. Mirum autem non est, homines hosce fronte plane perfrecta propriam ac geniuam verbi κηρύσσειν, quod semper publice aliquid annunciare, praedicare, promulgare, instar praeconis aut caduceatoris, praesente multitudine quadam, proclamare, magna cum emphasi notat, (b) significationem, absque vlla virgente necessitate respuere, aliumque, nullibi, nisi suo in cerebello, fundatum significatum (c) fingere vocique affingere conari. At deploranda est horum in profundissima errorum praecipua delapforum hominum aut caecitas & ignorantia, aut temeritas & pertinacia, qua verbi externi praedcatorem hic indicari, vel non vident, vel videre nolunt, quippe quem textus sole, cum meridiem tenet, clarius & quam apertissime monstrat. Quid enim evidentius his versus 15 verbis: πᾶς κηρύσσει εὐὸν μὴ ἀποστασῆι, quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint? Quo quarto gradationis suae membro Apostolus peculiarem missionem ac legitimam vocationem necessarium praedi-

praedicatoris ad praedicandum requisitum esse, clarissime ostendit, idem asserens, quod alia Scripturae dicta sufficienter docent, vt v. g. Ebr. V. 4 coll. Exod. IV. 14. 15 Jer. XXXIII. 21. Quodsi ergo missum oportet esse, qui verbum audiendum, & auditu mediante, fidem in animis hominum ingeneraturum praedicare debet ac vult, quomodo, quaeso, hoc de interno Fanaticorum Spiritu, insitum illud, quod venditant, verbum praedicante, dici vel probari poterit? Non negamus, Christum ad docendum etiam ac praedicandum a DEO missum fuisse, Ef. LXI. 1, quippe quod officium ejus Propheticum est, quod & propria in persona in diebus carnis suae exercuit, Marc. I. 14, 15 hodieque per institutum a se verbi Ministerium exercet, Matth. XXII. 18. 19. 20. Marc. XVI. 15. 20. Nec inficiamur, Spiritum S. in corda credentium mitti, Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. ac in illis habitare, I Cor. III. 16. 17. VI. 19. sicut & Christus per fidem in illis habitat, Ephes. III. 17. totaque Sacro Sancta Trinitas, Io. XIV. 23. Nec quisquam est, operationem diuinam in hominibus, speciatimque illuminationem, negaturus, quippe quam dari, constat apertissime, 2 Cor. IV. 6. sed eam, mediante Verbo Verbiq; Ministerio fieri, non minus ex locis clarissimis, quoad prius quidem 2 Petr. I. 19. quoad posterius Act. XXVI. 17. 18. tam manifestum nobis est, quam quod manifestissimum. At de verbo interno, vel Christo in nobis, aut interno Spiritu, quem illi crepant, Dictum hoc, de cuius legitima versione disputatur, intelligi minime posse, vel solus, quo vtitur Apostolus, pluralis numerus, & quidem ex ipsorum etiam Adversariorum hypothesi, fatis arguit superque. Nam & Christus, in fidelibus qui habitat, & Spiritus S., illuminationem per Verbum operans, vnus tantum est. Quemque Fanatici jaectitant, Spiritus internus in hominibus omnibus, saluis eorum hypothesibus, nonnisi vnicus duntaxat esse potest. Cum autem Apostolus de praedicantibus & missi, in plurali numero, loquatur, nemo vel Spiritum S. vel Fanaticorum illum Spiritum, aut verbum internum concipiet, sed, nisi quis verba cauillati

cauillari velit, intelligendi sunt homines, Verbi externi praedicatores, quippe qui plures κηρύσσοντες sunt & ἀπεαλμμένοι. Aut ergo eò audaciae progrediendum erit Fanaticis, vt plures ac tot Christos in nobis, tot Spiritus internos fingant, quot in mundo sunt homines existentes, aut fictum suum praedicatorum internum a gradatione Paulina plane depulsum, suapte sponte corruere, ingenue confitendum iis erit. Accedit, quod Paulus praedicantes a verbo praedicando & auditu percipiendo aperte distinguit, cum ex aduerso, iuxta Fanaticorum, saltem plurimorum, placita, verbum, quod audiendum, sit ipsum Verbum ὑποστατικὸν hominibus inexistentis, seu Christus in nobis, vt adeo, secundum eorum opinionem, idem & qui praedicet, & verbum, quod ab eo praedicetur, oporteat esse. Quod quoniam dictu absurdum, quale quid nemo sanae mentis concipere valet, siquidem agens diuersum esse oportet ab objecto, circa quod eius actio, ad distinctum quendam effectum producendum, versatur; vltro sequitur, intelligi hic Concionatores ad Verbum externum praedicandum missos, ex quo fides in animis audientium generetur. Et hinc sponte fluit, Lutherum locum nostrum Spiritus S. menti ac intentioni oppidò conformiter expressisse, fidem ex auditu verbi praedicati, proindeque ex praedicatione eorum, qui ad praedicandum missi sunt, venire, s. *der Glaube komme aus der Predigt.*

(a) l. c. p. 104.

(b) Κήρυξ gentilibus erat legatus aut praeco publicus, variis in negotiis, bello sc., pace, ludis aliisque adhibitus, alta voce proponenda proponens ac exclamanda designans. Conf. L. C. RHODIGINI *Lectr. Antiqq. Lib. XXI. Cap. XV. p. 1168 sqq.* ROSINI *Antiqq. Rom. Lib. LXXI. Cap. XLVI.* In Ecclesia christiana primitiua Sec. IV. populus per vocem praeconis per plateas deambulantis ad sacra conuocabatur. Conf. SPANHEMIVS *Hist. Eccles. Sec. IV. Tom. I. Opp. p. 854.* Ob similitudinem quendam personarum ac functionum hoc nomen ad Ministerium in Ecclesia docendi translatum ac nomen κηρυκῶν publice in Ecclesia docentibus inditum est, 1 Tim. II. 7, quo etiam designatur Noachus 2. Petr. II. 5. coll. JOSEPHO

Antiqq. Jud. Lib. I. Cap. V. Hinc doctores illi Ecclesiae populum docentes dicuntur *κηρύσσειν*, Matth. X. 17. Luc. XII. 3. A& XIX. 13. 1 Theff. II. 9. 2 Tim. II. 2. Tit. I. 3. &c. cuius vocis emphasin vid. ap. B. DILHERRVM *Eclog. Sacr. N. T. p. 123. sq.* Non tamen semper viam vocis propositionem hoc verbo indicari, sed etiam eam, quae scriptione absoluitur, ostendit B. DORSCHVEVS *Theol. Zach. Part. II. Diss. II. Loc. I. qu. II. p. 7.*

- (c) Vbicunque enim Scripturarum illud verbum occurrit, semper externam publicationem & praedicationem notare, dictorum illorum *ἀνταψία* neminem non docebit.

§. XIII.

Et ne dubii quid superfit, sed potius clarius fiat, fidem ex auditu verbi per homines praedicati, proindeque ex praedicatione ad hoc munus missorum venire, probat id Apostolus ipse, allegato Iesaiiae Cap. LII. 7. dicto, cuius verba sunt: *מִהַרְצֵחוֹ עַל-הַהָרִים רְגְלֵי מְבַשֵּׂר מְשֻׁמֵּעַ שְׁלוֹם סִבְשָׁר טוֹב* i. e. ex interpretatione JVNII: *Quam descentes sunt, superistos montes pedes euangelizantis, pronunciantis pacem, euangelizantis bonum*; quae sua in lingua Paulus ita effert: *ὡς ἀρᾶναι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθὰ.* In Graeca Septuaginta-Virali versione verba haec Iesaiana sic expressa leguntur: *ὡς ἄρα ἐπὶ τῶν ὄρεων ὡς πόδες εὐαγγελιζομένων ἀκοῆν εἰρήνης ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθὰ.* Verum obseruat beneque iudicat WITTICHIVS (a) id sensum vix habere, & ex collatione cum Apostoli citatione & Hebraeo textu satis apparere, locum apud LXX interpretes esse corruptum. Vtut vero de eo sit, quippe quod nec Apostoli probationem infringere potest, cum & alias versio Textui Originali cedit; nec scopo nostro officit, siquidem Apostoli verbis est inhaerendum; satis nobis sit, apertum inde magis fieri, frustra Lutheri versionem dicti nostri taxari. Disputent interrim alii, quosnam per Euangelizantes intelligat Propheta? de quo interpretes varii varias in sententias abeunt, quarum nonnullas POLVS (b) conguessit. Ad tempora vero N. Tti Prophetam

phetam, vt Evangelistam V. T., potissimum respicere, ex verborum connexionē & contextu, in quo de Ecclesia Christi, & hoc ipso illius Capite ac Domino agitur, apparet. At, quid opus est, illud prolixè probare? quoniam Apostolus noster, qui Spiritum DEI habebat, 1. Cor. VII. 40, qui non ausus est loqui quidquam eorum, quae non operatus sit Christus per ipsum, Rom. XV. 18, ideoque optimus Prophetarum habendus est interpres, dictum hoc Propheticum allegat ad probandum, praedicatores Evangelii missos esse debere. Quamobrem & Exegetarum optimi plerique in eo conspirant, haec Esaias verba proprie ad Apostolos pertinere, quippe qui sunt nuncii illi, *περισσεύοντες* ac legatione DEI fungentes, 2. Cor. V. 20, iucunda, felicia, laeta nunciantes, (c) nunciantes *εὐαγγέλιον καὶ ἀγάπην*, pacem & bona, i. e. omnia spiritalia dona, bona, beneficia diuina, Christi merito nobis parta. Hinc pedes eorum, h. e. explicante GLASSIO, (d) *παρηγορίας* illorum in docendo & missio diuina animabus, fulmine legis percussis, conscientiae taedis ardentibus agitatis, tam *ωραίοις*, speciosi ac amoeni, vt nihil ipsis dulcius, nihil iucundius, nihil suauius, ne votis quidem conceptis expeti queat. Ad hos igitur per Prophetas praenunciatos *Apostolos e curia veluti coelesti emissos*, exoptatum illud Euangelium & Epistolam DEI ad genus humanum orbi terrarum patefacientes, (e) Paulus, non nisi legitime missos, veros Euangelistas esse, confirmaturus, prouocat. Ex eo vero, quod pedum eorum Propheta pariter ac Apostolus mentionem faciunt, intelligitur quam facillime, legatos, nuncios, missos proprie dictos intelligi, quales erant non solum Apostoli, sed & hodie sunt eorum in officio successores, Praecones scilicet Verbi diuini, quos DEUS emittit, atque ad finem mundi missurus est, Matth. XXII. 20. Vt sic liquido iam constet, quales sint illi a DEO missi praedicatores, quorum Paulus meminit, externum scilicet verbum salutis Scripturis comprehensum annunciantes, minime vero Fanaticorum ille fictus praedicator internus. Atque sic, ut iam concludamus: fides est ex auditu verbi a nunciis & legatis ad illud annun-

ciandum missis, praedicati. Hi namque verbum praedicant, quod auditur, ex quo vero auditu fides in animis hominum generatur, ideoque mediante auditu, ex praedicatione fides est, vel, vt Lutherus rectè, germanice: So kommt der Glaube aus der Predigt.

(a) *Inuestigat. f. Comment. Ep. ad Roman. b. l.*

(b) *Synopsi Criticor. ad Rom. X. 15.*

(c) Haec enim est emphasis verbi *εὐαγγελίζεσθαι*, quo Apostolus *ἵδω* *כִּשְׂר* a Propheta vsurpatum, generatim quidem nuncium, speciatim vero laetum nuncium adferre notans, exprimit. Conf. praeter LEIGHIVM *Crit. S. V. T. h. V. STOCKIVM Clau. Lingu. S. V. T. Voc. כִּשְׂר* p. 161. aliosque Lexicographos, OLEARIUM *Excercit. Philol. in Epistoll. Dom. p. 338.*

(d) Rhetor. S. Tract. I. Cap. XII. p. 612.

(e) Quae sunt verba B. HVNNII Comm. in Epist. ad Roman. h. l. p. 351. SEB. SCHMIDIUS in Paraphrasi h. l. p. 423. ita paraphrasticè neruum argumenti Paulini explicat: Wie lieblich sie verkündigen. Nämlich diese sind von GOTT selbst beruffen, daß sie predigen sollen, und gebilliget, wenn er spricht: Wie lieblich sind ihre Füße, nämlich wie angenehm sind sie mir.

§. XIV.

Sed vterius, quod ante dixerat, fidem videlicet ab auditu verbi per eos, qui hunc in finem missi sunt, praedicati, dependere, confirmaturus Apostolus denuo ad eundem Prophe- tam Esaiam prouocat v. 16. &, excluso remotoque Fanatico- rum verbo spirituque interno, duplex in eodem pro genuina Dicti nostri Versione Lutherana suppeditat argumentum. Primum enim querelam effundit de incredulitate ac peruersi- tate ingeniorum humanorum: *ἄλλ' ἔ πάντες*, inquit, *ὕπη- κσαν τῷ εὐαγγελίῳ*. Sed non omnes obediuerunt Evangelio Juxta Lutherum: Aber sie sind nicht alle dem Evangelio gehorsam. Connexionem equidem huius versiculi cum praecedente va- riam ab Interpretibus indicatam videre datur, in quam autem inquirere cum scopo nostro parum conducere queat, isthoc labore superfedere potero. Certum interim est, Paulum re- spicere praedicationis a DEO missorum, de quibus locutus fuerat,

fuerat, obiectum, id quod Euangelium est, cui non omnes idipsum audientes obedire, conqueritur. Hoc autem Euangelium adeo non est ipse Christus, vt doctrina de eo fit, quemadmodum Rom. I. 16. dicitur Euangelium de Christo, quem ideo tanquam obiectum suum respicit ipsum. At Euangelium hoc non est natura hominibus insitum, sed per externam praedicationem in iis plantari debet, sicut Apostolus diferte id a se Galatis praedicatum asserit, quemadmodum aliud ab eo diuersum praedicatoribus anathema dicit Gal. I. 8. 9. 11. 16. Sic ergo fides ex auditu Euangelii praedicati venit, adeoque ex praedicatione, cuius obiectum Euangelium est, indeque B. Lutheri Versio huius loci recte se habet, edicens, *der Glaube komme aus der Predigt*. Idque mox etiam confirmatur allegato Jesaiae loco, cuius verba Cap. LIII. 1. sunt: *מי האמין לי שמעתי* quod ita graece effert Apostolus: *τις ἐπισέδωκε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν* i. e. *quis credidit auditui nostro*. Hinc itaque argumento nostro ex verbis illis Paulinis: *quomodo audient sine praedicante?* notum robur accedit. Eam autem, de qua Jesaiae sermo est, praedicationem externam esse, tanta certitudinis luce radiat, vt nisi Fanaticorum pernicacia nobis eandem extorqueret, probatione supersedere possemus. Sermones enim a Jesaia aliisque Prophetis, (a) tanquam summi Numinis Oratoribus verbique diuini praeconibus, populo prolatos, a populo auribus perceptos, licet, vt Propheta conqueritur, cordibus non impressos, externos fuisse, nemini dubium esse potest. Prorsus itaque temerarius est ac irritus DIPPELII, ab hoc quoque dicto externam praedicationem remouere allaborans, conatus, quando hunc Prophetiae locum a Luthero male per: *Unserer Predigt*, translatum pronunciat. En propria ipsius verba: (b) *der Ort aus dem Jesaia, welchen D. Luther auch vertiret: Wer gläubet unserm Predigen, und bey solcher Gelegenheit betwogen worden das Griechische Wort ἀκοῇ sowol hier Rom. X. als auch Gal. III. 2. im Deutschen durch das Wort: Predigt, zu übersetzen hat auch so ferne ein anders in sich; es heisset gleichfalls Jes. LIII. 1. Mi haec aemin lischm uathenu?*

wer gläubet dem, was wir gehöret haben, oder wer gläubt dem götlichen Wort, welches wir von dir, o Herr, haben gehöret und angenommen. Non est, cur Fanaticus ille homo ad hypothesein suam incrustandam vocabulum וַיִּשְׁמַעֲךָ vrgeat. Nam vocabulum וַיִּשְׁמַעֲךָ quam saepissime rumorem seu famam, & rem ipsam s. materiam auditam, posito nimirum effectu pro caussa, metonymice denotare, Num. XIV. 15. Jer. VI. 24. Dan. XI. 44. aliaque plurima scripturae dicta euincunt. Ad cuius quoque imitationem vocabulum graecum ἀκούω in N.T. non raro pro sermone, qui auditur, sumi, supra §.VII. probatum dedimus. Quam significationem etiam h.l. assumendam esse, res ipsa suadet, postulat, jubet. Nam Jesaias querelam fundit de paucitate credentium, siquidem affirmatiuae interrogationi respondet propositio negatiua. Jam vero, quae te, quomodo populus iis credere ac fidem habere poterat, quae DEUS in Prophetis locutus est, nisi hi praedicatione externa eadem illis annunciaissent ac manifestassent? Num Iudaei interiora mentis penetrare valebant? Id quod a Dn. PRAESIDE (c) repositum iam olim est. Hinc exulat illa, quam Fanaticus ille, auditum verbi a DEO immediate reuelati innuens, postulat, versio: Wer gläubet dem, das wir von dir gehöret haben. Licet enim haud inficias eundum, Prophetas eam, quam populus auribus ac mentibus deuotis excipere debebat, doctrinam per immediatam reuelationem a DEO accepisse; (d) illam tamen populo, quippe cui alias incredulitas imputari ac obici non potuisset, per externam praedicationem a Prophetis traditam fuisse, quin, quia DEO non omnibus & singulis immediatas impertire reuelationes placuit, necessario tradi ac praedicari debuisse, cum ratione dubitari non potest. Optime igitur hoc dictum a VORSTIO apud POLVM (e) ita explicatur: *quis credit auditioni nostrae, non qua nos audimus, sed quam alii ex nobis audiunt?* Quocum incidit VHLENBERGII versio, verba haec apud Jesaiam ita: *Wer gläubt dem, das er von uns höret?* & apud Paulum h. m. *Wer gläubet, wenn er uns höret,* transfereus. Et id ipsum Lutherus per *unser Predigt & unserm Predigen,*

digen, quam optime expressit. Firmo itaque ac inconcuffo nititur fundamento, auditum externae praedicationis audiendae non tantum Paulum, sed & Iesaiam, adductis vtriusque verbis, intelligere. Quam ob rem frustra se dat hisce per Spiritum Sanctum actis Viris infano vertiginis Spiritu agitatus contradicere non veritus, Dippelius, excipiendo: Was solls denn seyn? wirst du sprechen, wo das Hören ist, da muß ja allezeit eine äußerliche Predigt seyn. Resp. prob. Maior: ich gläube es nicht. Quae quanto robore gaudeant ex dictis satis apparet. Sufficenter itaque iam arbitror, me demonstrasse, Paulum in antecedentibus de auditu verbi praedicati agere; Ex quibus nunc concludimus, eundem auditum etiam in sequenti versu 17. intelligendum esse, adeoque versionem illius Lutheranam: **Der Glaube kommt aus der Predigt, Spiritus S. sensui conformiter recteque sese habere.** Ex antecedentibus enim verum dicti cuiusdam sensum petendum esse, vel ipsa naturalis dicitur interpretandi ratio.

- (a) Non in persona Apostolorum loquitur Iesaias, nec de futuro tantum Euangelii contemptu in N. T. vaticinatur, vti cum CORNELIO a LAPIDE *Comment. in b. l. TIRINO in b. l.* alii quidam existimant. Sed de inobedientia & incredulitate Iudaeorum, qua tunc iam temporis salutarem Euangelii praedicationem a Prophetis propositam respuebant, conqueritur; indigitans tamen simul pertinaciam Iudaeorum tempore N. T. qua verbum de Christo iam exhibito abs Apostolis proponendum, eadem cordis duritie rejecturi essent, qua Patres ipsorum verbum de Christo exhibendo repudiasent. Cuius vaticinii veritatem euentus tempore Christi, Joh. XII. 37 sqv. ac Apostolorum Rom. III. 2. 3. IX. 31. 32. X. 3. demonstravit.
- (b) In Papismo Protestant. Vapul. Opp. p. 149.
- (c) Compend. Mataeol. Fanatic. recent. Prolegom. Cap. III. Thef. XII. p. 110.
- (d) Hanc rationem, quare Propheta vocabulum **שמעו** vsurpauit, adfert B. CHEMNITIUS *Harmon. Euangelist. Part. II. p. 220.* Et bene MARLORATVS *Exposit. Ecclesiast. Preph. Iesaiæ ad l. c.* pronunciat: *Auditus Prophetæ geminus fuit: Audiebat & audiebatur. Audiebat loquentem sibi Dominum, de quo auditu loquutus est supra 50. a 4. Dominus Iehoua aperuit mihi aurem, vt audiam, sicut qui erudiuntur. Audiebat loquens ad populum,*

populum, quae audierat a Domino. Quam ergo loqueretur audire,
recte vaticinii sui praedicationem vocat auditum suum, tam quod
audiretur a populo, quam quod audisset ipse a Domino.

(e) Synopsi Crit. ad Rom. X. 16.

§. XV.

Non tamen solis ex antecedentibus iudicium de sensu di-
cti cuiuspiam ferendum semper est, sed quando, per coniu-
ctionem conclusivam seu consequutivam sequens cum ante-
cedente connectitur & veluti conclusio ex praemissis infertur,
tum longe clarius & evidentius pro eo argumentum inde re-
sultat (a). Hinc igitur & nobis novum pro thesi nostra, quod
inter principalia QVARTVM est, argumentum emergit, parti-
culâ consecutiva *Agē*, aut, vt nonnulla exemplaria, teste MIL-
LIO (b) habent: *ἀγαθὸν ἔστιν. Quare, quapropter, igitur, ergo*, quam
Lutherus germanice *So* reddidit, quae vox idem sonat ac si
diceretur: *So folget nun daher* &c. versum nostrum 17, cuius
de versione disceptatur, cum praecedentibus connectente.
Multae quidem huic particulae adhaerent significationes, non
apud profanos solum Scriptores, vt apud Lexicographos videre
est; sed in ipsa quoque S. Scriptura, ceu collatio concordantiarum
graecarum condocet. Est enim vel concludentis, vel
asseuerantis, vel interrogantis, vel etiam, iuxta nonnullos, quos
tamen atro carbone notat GLASSIVS, (c) dubitantis. Cum
circumflexo positam eam interrogatiue, cum acuto vero asse-
ueratiue & conclusiue sumi, praeter Lexica, obseruant CORN.
a LAPIDE (d) & STOCKIVS. (e) Hoc loco non asseueratiue
pro *sano*, qualis interpretatio apud POLVM occurrit, sed con-
clusiue, collectiue, illatiue accipi debet, (f) vt etiam versio-
num supra allegatarum, nonnullae reddiderunt. Hanc enim
conclusionem Paulus ex superioribus deducit & infert, siquid-
dem hunc in finem isthaec gradatio instituta erat, vt offen-
deretur, quaeenam sint causae, quodque sit inter eas proxi-
mum fidem illam, de qua antea dictum fuerat, iustificam con-
sequendi medium, nimirum auditum verbi, per quem DEUS
in hominum cordibus fidem accendit (g). Quod si quaeratur:
Ex

Ex quibusnam antecedentium verbis Paulus ita inferat? respondeo: non proprie ex proxime antecedentibus, querela sc. Jesaiana de paucitate verbi praedicationi fidem adhibentium, sed ex argumentatione, quae illam antecedit, integra, cuius in confirmationem ac probationem verba Jesaiae allegavit. Duplex itaque haec conclusio diuersimode exinde deducitur. Prior illa: *Ergo fides ex auditu est*; ex his versus 14. verbis: *Quomodo credent ei, de quo non audierunt?* hoc modo: Si in eum, de quo nihil est auditum, credi non potest, sequitur quod fides fit ex auditu. Posterior illa: *Auditus vero per verbum DEI* ex his versus 14. verbis: *Quomodo audient sine praedicante?* h. m. Quodcumque sine verbi diuini praedicatione dari nequit, illud est per verbum DEI; Atqui auditus fidem generaturus sine verbi diuini praedicatione dari nequit. Ergo auditus est per verbum DEI. Ita rem explicauit B. GERH. MEIERVS, (h) quocum & consentientem PHIL. LIMBORCHIVM (i) deprehendo. Quoniam ergo haec verba cum antecedentibus cohaerent, antecedentia vero ceu demonstratum, de auditu verbi praedicati agunt, non possumus non inde, propter illam particulam collectiuam & consequutiuiam ἀγα, pro tali auditu in nostro loco intelligendo argumentari, vt fides proxime quidem ex auditu, auditu vero mediante ex praedicatione sit. Id quod versionem nostram: *So kommt der Glaube aus der Predigt*, rei pariter ipsi ac intentioni & scopo Apostoli congruam, proindeque legitimam esse, iterum iterumque probat.

(a) vid. B. PFEIFFERI Thesaur. Hermen. ad Cap. X. Can. XCV. p. 394. & in der gerechten Sache p. 98. 100. add. B. DANHAWERI Idea Boni interpret. & malitiosi calumna p. 189.

(b) in N. T. Variant Lektion. h. l.

(c) Philolog. Sacr. p. m. 723.

(d) Commentar. in h. l. p. 444.

(e) Interpr. graec. N. T. h. V.

(f) De collectiua illa significatione vid. MATTH. DEVARII Librum de graecae linguae particulis h. v. p. 67. sqq.

(g) Conf. BALDVINI Comm. in Epp. Pauli h. l.

(h) Colleg. Analyt. MSC. in Pauli ad Rom. Epist. h. l.

(i) Comment. in h. l.

Sed ulterius id ipsum consequentia quoque confirmant, ut eo magis contradicentium os obturetur. Sic enim Apostolus v. 18. pergit: ἀλλὰ λέγω, μὴ ἐκ ἠκουσάν; μενούργος εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξήλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν h. e. ex interpretatione SEB. SCHMIDII: Sed dico; num non audierunt? Atqui in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum. Verba haec a Paulo ex Pl. XIX. 5. adducta esse, plerique & tantum non omnes, Interpretes, haud absque probabilitate affirmant. Huius enim sunt in fonte sonantia: כָּל - הָאָרֶץ וְכָל - הַיָּם וְכָל - הַיָּבֵשֶׁת וְכָל - הַיָּם i. e. ex versione SCHMIDIANA: In omnem terram exiit linea eorum, & in fines orbis verba eorum. Quae quidem utrum in sensu litterali de coelestibus orbibus & reliquis operibus Regni naturae loquantur, & a Paulo secundum allegoriam tantum ad praedicationem Apostolorum accommodentur, an vero proxime hanc ipsam Apostolicam praedicationem denotent, ac Paulus eorum allegatione probet? non idem aequo sentiunt omnes, quos tamen haud difficulter conciliatos voluit SEB. SCHMIDIVS, (a) edicens, quod Paulus verba haec iuxta litteralem sensum citet, non accommodatitium; sed phrasin totam sumserit ex libro naturae tropica mutatione, ut praedicatio Evangelii & praedicatio naturae inter se simul comparentur, & una alteram illustret. Vivit vero de eo fit, quoniam id scopum nostrum non tangit, isti nos disceptationi hoc loco non immiscebimus, cum, vtra sententiarum harum eligatur, certissimum nihilominus maneat, Apostolum verbis his Evangelii per uniuersum orbem factam praedicationem adstruere voluisse, quam etiam Col. I. 23, asseruit. (b) Licet enim a Dauide vocabulum פֶּ quod lineam; a Paulo vox φθόγγος, quae sonum significat, usurpentur; hoc tamen non tollit horum locorum parallelismum, multo minus textum hebraeum corruptum arguit; (c) Sed Paulus hic simul Paraphrasten egit τὸ: פֶּ per φθόγγον explicans. Idem enim manet sensus, quoniam ille ipse sonus, seu verbum predica-

tum regula est & norma fidei, ut ex appellatione, quam suae doctrinae ipsius Paulus dedit Gal. VI. 16. Phil. III. 16. constat, uti loquitur B. CHRIST. CHEMNITIVS. (d) Nec silentio prorsus praetereundum erit, jam olim etiam LXX. Interpretes vocem *Φόγγος* in graeca sua huius Daudici effati ve fione adhibuisse, quid? quod eadem plane verba tam apud eos, quam apud Apostolum legantur, ut dubitationi vix relinquatur locus, hunc illorum, quod nec alias Noui Testamenti Scripto-ribus inusitatum, (e) allegasse propria verba. Sed ad rem ut reuertamur, ex connexionione textus nostri cum hoc v. 18. *QVINIVM*, thesin nostram suffulciens, *argumentum principale* resultat; siquidem versus ille de auditu externae praedicationis, Apostolici nimirum sermonis, dilucide satis agit. Paulus etenim contra Iudaeos ulterius disputare pergens, ipsos a reiectionis suae culpa liberare se posse, opinatos, non habere, quod ignorantiam Evangelicae praedicationis praetexant, ostendit. Fortassis enim quispiam Iudaeorum causam in- crustaturus regeret: Quia fides ex auditu est, qui fit igitur, quod Iudaeis fides prorsus ignota fit? an forte non audierunt de Christo ac ipsius Euangelio? Ast occurrit Apostolus huic obiectioni, & ignorantiam illorum affectatam esse, qua excu- sare se non possint, probaturus, praedicationem illam uniuersalem esse, in omnem terram exiisse, quin ad remotissimos orbis terrarum recessus penetrasse, sicque Christum, ut eum citra propriam culpam ignorare nemo possit, palam in omni natione per Apostolos praedicatum esse, docet. Bene neruum verborum Paulinorum ita exprimit CHRYSOSTOMVS (f)

τί λέγεις, Φῆσιν, οὐκ ἤκουσαν; ἡ οικουμένη καὶ τὰ πέρατα τῆς γῆς ἤκουσαν, καὶ ὑμεῖς, παρ' οἷς τοσούτων οἱ κήρυκες διέτριψαν χρόνον, καὶ πάλιν ὁθεν ἦσαν, ἐκ ἠκούσατε; Quid ais, inquit, non audiuerunt? Atqui orbis uniuersus terraeque fines audierunt; & vos, apud quos tantum temporis praecoones egerunt & inde prouenerunt, non audistis? Apostolorum itaque sermonem totum terrarum orbem peragrassse, & per externam hanc praedicationem hominum ad salutem vocationem in uniuersali factam esse, Paulus allegato illo Psalmistae effato aperte pronun-

nunciat. Non solum enim, quod hic iterum repetendum, pluralis, quo hi sancti DEL homines vtuntur, numerus, sed etiam *soni* vox arguit, vtpote quorum interno illi spiritui, quem substituere malunt, neutrum congruere potest. Praeterea idipsum confirmat expressum Saluatoris iussum, Matth XXII. 19. 20. Marci XVI. 15. Apostolos in vniuersum mundum proficisci, omnibusque gentibus Euangelium annunciare iubens. Cui Christi mandato eosdem summa tam alacritate, quam dexteritate, fideque morem gessisse, atque ita vniuersae creaturae, rationali scilicet, quae sub coelo est, praedicasse, is ipse noster gentium Doctor, tam Coloss. I. 5. 6. 23. quam h. l. euidentissime asseuerat.

- (a) Colleg. Bibl. pr. Loc. II. Di& I.
- (b) Minime hic moramur JAC. GAFFARELLVM *Curios. Inaud. Cap. XIII. p. m. 282.* cum aliis nonnullis coelestem litteraturam fingentem; & רשע dicti huius per lineas fideralium litterarum, ordine in coelo quasi in membranis pictarum, explicantem, hancque omnibus in toto terrarum orbe obtigisse, Paulum h. l. indigitare velle, contendentem. Hos enim vani cerebelli lusus doctissime refellit BANGIVS *Coelo Orient. Exerc. II. p. 140. sqq.* item & GREG. MICHAELIS *Notis ad Jac. Gaffarelli Curiosit. Not. 100. & ult. ad loc. allegat. p. 445. sqq.*
- (c) BELLARMINVM & HVNTLEIVM fontem corruptum, & ex voce רשע mutato רשע in רשע vocem רשע enatam esse, cententes debita censura excipiunt GLASSIVS *Philol. Sacr. Libr. I. Tract. I. p. m. 88.* POSSELT *Comment. in Epist. ad Rom. p. 1079.* WHISTONI in eadem erroris praecipitia delapsi placita sub examen vocauit Celeb. Lubecentium Superintendens DN. JO. GOTTL. CARPZOVIVS *Criticae Sacrae V. T. Part. III. in Pseudo Critica Whistoni p. 886.*
- (d) Comment. in Epist. ad Rom. p. 142. 143. Varias inter sonum & lineam comparationes adferunt BANGIVS l. c. p. 151. sqq. & ex eo POSSELT l. c. p. 1080. sqq. STOCKIVS *Clau. L. S. V. T. p. 932.* HERM. DEVSINGIVS & F. A. LAMPIVS in Meditationibus ad hunc Psalmum, quae exstant in Bibliotheca Bremensi *Class. II. Fasc. V. num. I. & II. p. 836. sqq.* CASP. NEVMANNVS quoque ex sua hypothesi, litteris significandi vim inesse, Pauli cum Dauide conuenientiam ostendit in *Clau. Domus Heber, edit. A. 1712. Part. I. pag. 101.* Paulinam hanc vocis

vocis קָרָא per *קריאת* expositionem ex arabica lingua, in qua *Kawa*, obseruante EDW. FOCOCCIO, notat *clamare, vociferari, alta voce vociferari*, illustrari posse, annotat THEODOR. HASAEVS Comment. de קָרָא קָרָא (inserta Biblioth. Bremens. Class. VII. Fasc. III. num. IV. p. 485. fqq.) §. 9. p. 485.

- (e) Vid. FLACIUS Part. II. Clau. Script. Tract. I. Tit. de Euangelistis §. 15. fqq. ANDR. KESLERI Disp. Inaugur. Praef. JO. MAIORE de Dictorum V. T. in N. allegatioue Cap. IV. §. XXIV. fqq. qui simul causas exponunt, cur Scriptores N. T. LXX. viralem Versionem potius, quam Originalem textum nonnunquam allegarint. Add. JO. CHRISTOPH. PEAFFII Dissert. de allegatis V. T. in Nou. Tub. 1702.

- (f) Homil. in h. l.

§. XVII.

Vana igitur friuolaque merito nuncupanda est exceptio BARCLAI, qui, cum aliis recentioribus Fanaticis, contra expressa haec Scripturae verba, vniuersalitem vocationis, tempore N. T. per praedicationem Euangelii factae, in dubium vocans, ad nonnullas Gentes Euangelii praeconium haud peruenisse, contendit. Eoque magis temerarius vocandus est modus ipsius procedendi, quando ex falsa hac hypothese vterius infert: Ergo per vniuersalem illam & longe lateque personantem praedicationem, de qua Paulus Rom. X. 18. agit, non externa per Apostolos facta, sed interna praedicatione intelligi debet. Sic enim scribit: (a) *Huic respondet v. 18: Sed inquam ego) ammon audierunt? Immo vero in omnem terram exiit sonus eorum, & ad vltima orbis terrarum verba eorum. Ex quibus liquet, diuinum huic praedicatorum in omnium aures & corda sonuisse: nam de Apostolis & eorum discipulis dictum illud minime fuisse verum. Nam nec tunc, nec multa post secula, immo, non certum, quin adhuc magnae & spatiosae nationes & regna sint, quae nunquam de Christo & Apostolis eius audiuere. Dum nonnullis gentibus Euangelii praedicati auditum abiudicat, vnum inflat cornu cum Caluino-Reformatis, vocationis vniuersalitem negantibus, (b) eamque vt infringant, regionum nonnullarum v. g. Americae, quam tempore Apostolorum incognitam fuisse supponunt, incolis, Euangelii praeconium non obtigisse, contendent.*

dentibus; quibus, nimio nos inter & ipsos paciscendi studio abreptus, Cel. Dn. D. PFAFFIUS (c) pollicem premere videtur. At enim vero aduersariis his obstant clarissima illa modo adducta dicta biblica, (d) vocationis per externam Apostolorum praedicationem factae vniuersalitem sole clarius asserentia, quibus, etiamsi ratio humana vel maxime reclamaret, indubitam fidem habere, quemlibet verum Christianum decet. Etiamsi enim rationi humanae imperium id esset, quo modo id effectum fuerit, an ideo negandum erit? ane potius omnipotentia DEI multo plura maioraque, quam nos intelligimus, efficere valentis, spectanda? Certè, satis euictum nondum est, Americam Apostolorum tempore habitam & incolis refertam iam fuisse, quin potius eam secula nonnulla post demum habitari coepisse, argumentis hand improbabilibus VRSINVS (e) concludat. Vtut vero sit, Americanis etiam Apostolorum tempore iam Euangelium praedicatum esse, Locus noster aperte docet, quod in dubium vocantibus cum BAIERO (f) respondere liceat: Willst du damit nicht zufrieden seyn und begehrest, man solle dir weisen, wie denn diese Leute in West-Indien, in die ferne und abgelegene Inseln kommen, und denen Inwohnern die Lehre Christi fürgetragen? Ob man wohl weitläufftiger antworten könnte: so dienet nur kürzlich zu wissen, daß es eben nicht nötig, alle Ort und Stellen, wo die Apostel und ihre Nachfolger gewesen, oder alle diejenigen Wege, Art und Weise zu zeigen, durch welche sie zu denen abgelegenen Bölckern kommen sind: sondern es ist genug, daß Christus und Paulus, unbetreffliche Zeugen, die bekräftigen, daß sie seyn in alle Welt ausgegangen, der Schall der Lehre von Christo dem Witter sey in alle Land ausgegangen. Wolte ich doch lieber glauben, daß die Diener Christi dahin geflogen wären, oder daß sie Gott durch feurige Ross und Wagen dahin geführet hätte, als daß ich die Wort meines Heylandes in Zweifel ziehen, oder ihnen gar widersprechen sollte. Wer aber damit nicht zufrieden seyn will, der muß wissen, daß er sodann nicht mehr mit einem gemeinem Menschen

ſchen diſputiret, ſondern mit Gott und Chriſto ſelbſt; und iſt zu beſürchten, wenn man alſo fortſähret, werde Gott, wieder den man ſich ſeſet, dem Meiſter Klügling realiter antworten und begegnen, wie ers verdienet. Et ſane, qui Philippum in locum diſſitum miraculoſe rapuit, Act. VIII. 39, illi nec difficile fuit ad populos remotiſſimas terras inhabitantes Euangelii praecones transmittere transferreque. Etiamſi quoque vocationem gentium actualem hiſtorice ex Antiquitate demonſtrare non poſſemus; eam tamen ob cauſam de ea dubitari non debet, ſiquidem a ſilentio hiſtoriae & ignorantia circumſtantiarum ad negationem exiſtentiae ac veritatis rei conſequentia non valet. Nec obſtat, multas inter gentes barbaras nulla hodie extare Euangelicae notiſſimae veſtigia. Nam exinde non ſequitur; Euangelium nunquam ad iſtas gentes penetratſe, ſed credendum, eos verbi contemtu, deſidia, ſcandalis, contumacia meruiſſe, vt poenam ferant ablatae vineae, Matth. XXI. 41. ſqq. moti loco candelabri Apoc. II. 5. Conf. inter alios, MOEBIVM, (g) KAHLERVM, (h) HVLSEMAN-
NVM, (i) FECHTIVM, (k) SCHVDTIVM (l) alioſque, ad quos nobis, cum noſtrum non fit hac de materia ex profeſſo agere, prouocaſſe, ſufficiat. Quoniam ergo Barclaji fundamentum ipſum, nonnullis ſcilicet gentibus praedicationem Euangelii non obtigifſe, ruit, aedificium quoque, tam ruinoſo fundamento ſuperimpoſitum, Paulum nimirum v. 18. & per conſequentiam etiam v. 17. non externam, ſed internam praedicationem innuere, corruat, neceſſe eſt. Nos e contrario, hoc occupato ac luculenter adſtructo, Paulum v. 18. de auditu Euangelii abs Apoſtolis aut Apoſtolicis Viris omnibus gentibus praedicati agere, firmiter concludimus, auditum illum, ex quo fides naſcitur, eſſe auditum verbi externe abs Apoſtolis aliisque Eccleſiae praeconibus prolati. De vno enim eodemque auditu in vtroque verſu ſermonem eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. De cetero conf. ad exceptionem hanc Barclaji dicta & reſponſa S. XII.

(a) Apolog. Chriſt. Theol. Theſ. V. VI. §. XXXIII. p. 104.

(b) In generalioribus hiſ conſpirans quidem eſt Fanaticorum & Caluino Reformatorum conſenſus, in ſpecialioribus tamen

in diuersas partes abeunt. Hi enim uocationem diuinam uniuersalem esse prorsus negant; Illi uero uocationis per praedicationem Euangelii tempore N. T. factae uniuersalitate impugnant, quam tamen uniuersalitate fictae suae uocationi internae adscribere non dubitant. Horum proinde Interesse est facilius uerbi interni defensio. Illorum autem interesse in absoluto decreto, cuius fulcimina particularia illa omnia sunt, repositum esse, ostendit B. ALBERTI *Interesse relig. Artic. V. Thes. III. §. 8. p. 289. sqq.* Contra Fanaticos egit Summe Reuerendus Dn. PRAESES meus *Matacol. Fanat. recent. Compend. Part. III. Cap. III. Thes. I. p. 272. sqq.* Contra Caluino-Reformatos. conf. B. SCHOMERI *Colleg. Anti-Caluinianum Cap. XIII. Qu. II. p. 302. BVDDI Institt. Theol. Dogmat. Lib. IV. Cap. I. p. 721. & 763. NEVMANNI Theol. Aphoristica L. de uocatione Apor. I. & sqq. p. 149. sqq.*

- (c) *Intittutt. Theol. Dogm. & Moral. Part. II. Cap. VII. §. 3. pag. 451. sqq.*
- (d) *Neruum dictorum Rom. X. 18. Coloff. I. 23, elisuri Caluiniani Ἰδοῖ: in omnes terras per longe lateque, i. e. non ubique, exponunt, locutionemque Pauli uniuersalem ad hyperbolas reiciunt. Conf. WITSIUS, qui quaestionem de Americanorum uocatione duabus exercitationibus pertractauit, *Miscell. Sacr. Tom. II. Exc. XIV. §. 9.* At quemadmodum hyperbolae in Scriptura Sacra temere admittendae non sunt, ut Celeb. Dn. VAL. ERN. LOESCHERVS in *Ἀντιπερβολῶν* inserto *Synamateo* Sect. I. p. 1 sqq. insigni rationum euidentia comprobauit, ita nulla subest necessitas, cur a proprietate litterae hic recedamus.*
- (e) *Analect. Sacr. Vol. I. Lib. VI. Cap. XXIV.*
- (f) *Concione Fer. II. Natiu. habita, praemissa der gründlichen Erweisung und Bertheidigung der reinen Lehre von der Nothwendigkeit des gläubigen Erkenntnisses Christi, wie auch von der Kraft des ewselichen Worts Gottes und Sacraments der heiligen Tauffe ic. pag. 20. 21.*
- (g) *in peculiari hac de materia dissertatione, Tractatui de Oraaculis annexa.*
- (h) *Disp. de praedicatione Euangelii uniuersali A, 1700. publicata,*
- (i) *Tract. de Auxiliis gratiae. p. 148. sqq.*
- (k) *Lectio. Theoll. in Syllogem ad Disp. XXVI. p. 320. sqq.*
- (l) *in den Jüdischen Verdwürdigkeiten Part. I. Lib. III. Cap. I. p. 39. & Continuat. Part. IV. 48.*

His hætenus ex textu pariter atque contextu depromtis argumentis, vt veritas eo magis confirmetur ac immota reddatur, vnum adhuc, quod *SEXTUM* est, *argumentum* ex dictis nonnullis Parallelis subnectere placet. Istiusmodi autem indigito loca, quae inter & nostrum, licet non verbalis, realis tamen parallelismus intercedit, quaeque effic, abs Apostolis Euangelium vbique locorum praedicatum, & ex hoc verbo praedicato fidem proficisci, luculenter comprobant, corroborant, confirmant. Sunt vero illa, vt ex am pla eorum segete pauca tantum & efficacissima eligam, loca: Act. XVII. 30. 31. 2 Cor. II. 14. Col. I. 23. Quid euidentius, quid clarius est loco 2. Cor. II. 14? vbi Paulus DEO gratias agit, quod suam Euangelii praedicationem vbique iusserit efficacem esse, simul indicans, DEum non immediate, sed mediate & per causas ministeriales, Apostolos scilicet suos ac Ministros, quos ad obeundum N. T. ministerium idoneos reddidit, 2 Cor. III. 6. horum praedicationem vbique per totum terrarum orbem omnibus hominibus, etiam ingratis ac pertinacibus, iuxta 2 Cor. II. 15, 16. flagrantissimum odorem, i. e., interpretante FLACIO, (a) doctrinam ac famam suauissimam de sui notitia ac cognitione spargere, diuulgare, communicare. Quod si ergo per Apostolos, Euangelium praedicantes, odorem cognitionis suae DEus manifestat; si verbum praedicantes, iis, qui saluantur, sunt odor vitae ad vitam: quae temeritas est, negare, fidem ex auditu verbi praedicati venire, vel quod idem est, praedicationem verbi auditi fidei causam esse? Sic vel ex eo patefcit B. Lutherum locum nostrum germanice rei conuenienter expressisse: *Der Glaube komme aus der Prediat.* Similiter aperte satis, ni coecutire quis malitiose velit, Apostolus Col. I. 23. in memoriam Colossensibus reuocat, eos Euangelium ex quo fidem atque spem conceperint, accepisse ac inaudiuisse, non per internam reuelationem, sed per externam Apostolicam praedicationem, hancque non ipsis tantum, sed omnibus, quos coeli ambitus complectitur, orbis natio;

nationibus contigisse? Quid ergo clariùs, quam fidem ex verbi praedicatione venire? Vt vel propter hunc locum nostra versio Lutherana recte se habeat legitimeque. Tandem & Paulinum illud *Act. XVII. 30. 31.* vocationis per Apostolorum Ministerium & praedicationem factae vniuersalitatem tanta cum emphasi exprimit, quanta vix ullus in Sacris locis, optime iudicante B. nostro FECHTIO. (b) Siquidem non tantum ratione loci voculâ *παραχοῦ* ubique v. 30, sed & ratione subiecti seu hominum vocatorum verbis: *τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι* omnibus hominibus v. 30, & *πᾶσι* omnibus v. 31. vniuersalitatem illius clarissime asserit. Quibus haec addenda est argumentatio in v. 30. fundata: Quoscumque DEUS per Christum, in extremo iudicio iudicaturus est, hos ad poenitentiam vocat. In omnes autem omnino homines vniuersale illud iudicium Christus exercebit, vt Paulus iterum v. 31. verbis: *ἐν ἧμέραις κρίσει τὴν οἰκουμένην*, in quo (die) iudicaturus est orbem terrarum, indicat, quibuscum conf. *Matth. XXV. 32. Jo. V. 28. 29. 2 Cor. V. 10. 1 Theff. IV. 16. sqq.* Hinc prona consequentia elicitur: DEum omnes omnino homines ad poenitentiam vocasse (c). Quod autem vniuersalis haecce vocatio facta sit per externam Verbi praedicationem, ex illius agnoscentur effectu. Operatur enim in vocatis, iuxta dictum hoc, si scilicet ob eam non ponatur, poenitentiam & fidem in Christum, ad quam vtramque in hominibus producendam viuum & efficax instrumentum seu medium est, virtute hac diuinitus eidem indita, *Jes. LV. 10. 11. Rom. I. 16.* Ne vero rursus ogganniant Fanatici, poenitentiam interni verbi effectum esse, audiatur ipse Saluator, *Luc. XXIV. 46. 47.* edicens, voluisse se, vt praedicaretur in nomine suo poenitentia atque remissio peccatorum inter omnes gentes, quemadmodum & ipsemet, officium suum propheticum poenitentiam & fidem externe praedicando exorsus fuit, *Marc. I. 14. 15.* sicut & praecursor ipse, Joannes Baptista, *Matth. III. 8. Marc. I. 4 & Paulus, Act. XXVI. 18.* testatur, se missum a Christo inter Gentes ad aperendum oculos eorum, vt se conuerterent a tenebris in lucem,

& e

& e potestate Satanae ad DEum, ad accipiendum remissionem peccatorum. Ex quibus omnibus sole clarius elucescit, DEum per externam Verbi praedicationem praecepisse ac praecipere hominibus omnibus vbiq̄ue, vt poenitentiam agant. Quamobrem cum triqua haec illustrium locorum externam Apostolorum praedicationem vniuersalem fidei effectricem esse, tam dilucide ostendit, nonne eundem quoque sensum in dicto illis parallelo, Rom. X. 17. 18. obtinere, merito iudicandum est? Quare Lutherus dicti nostri sensum huc redeuntem: *Der Glaube komme aus dem gepredigtem Wort, legitime, scopo Apostoli ac intentioni Spiritus S. conformiter in versione sua expressit: So kommt der Glaube aus der Predigt, das Predigen aber durch das Wort Gottes.*

- (a) Clau, Script Part. I. Voc. *Odor*, col. 776. Ad sacrificiorum suffitum Paulum hic alludere interpretes magni nominis existimant. Ceterum varias multorum Interpretum de hoc commate extantes sententias recensent B. RVNGIVS Vol. Dissp. in Ep. Pauli p. 655 sqq. B.-SCRIVER Part. III. des Seeleu Schatzes p. 1679.
- (b) Philocal. Sacr. pag. 22.
- (c) Plura de illa hoc in dicto asserta vocationis vniuersalitate vid. apud B. SCHERTZERVM in Breuiario Hulsemann. enucl. atque aucto p. 1029. B. LVTKEN, in Colleg. Biblico p. 431 sqq. add Celeberrimi IO. CHRISTOPH. WOLFII Curae Philologiae & Crit. ad h. l.

§. XIX.

Et haec quidem allata haecenus argumenta scopo nostro sufficere posse, iisdemque proposito, Apologiam pro Germanica Dicti Rom. X. 17. versione Lutherana consignandi, satisfactum opinamur. Sunt enim eius euidentiae, vt nec Aduersariorum quidam ipsimet, verbum: *Predigen*, non perperam aut inconuenienter in Versione hac vsurpatum esse, diffessi sint, vt de verbo quidem conveniri facile queat, de sensu vero istius tantum remaneat dissensus. Scilicet, quanquam hucusque CHRIST. DEMOCRITVM s. DIPPFLIVM saepius vt contra versionem nostram, per vocem *Predigen*, disputantem allegauimus; ab initio tamen §. X. non negleximus indicare, eum

ex Schwencfeldii duntaxat mente ac hypothesi rem istam agere, ex qua etiam eum hucusque audiuimus loquentem: quando vero deinceps suo proprio ex sensu disputat, in verbis versionis nostrae quidem nihil inueniri concedit, quod merito taxandum, & verbum Predigen in illâ hîc non male positum fatetur; veruntamen in alio ac, quem mente Lutherus voluit, quemque illius esse, a nobis quoque assertum, sensu id capi debere, contendit. Verba ipsius (a) sunt: Doch, wann ich die Wahrheit soll bekennen, so thut mir diese Uebersetzung des Worts *ἀκούω* nach der Meinung des Schwencfelds, noch nicht völig Satisfaction. Denn es gebraucht solches die H. Schrift ausdrücklich pro obiecto auditus, wie es denn Matth. XXIV. 6. nicht anders kan geden'et werden, als von einem äusserlichen Geschrey, oder de voce Euangelii Orthodoxi, wann es heisset: *Μελλήσετε δὲ ἀκούειν πολέμου καὶ ἀκούειν πολέμου.* Ihr werdet Hören Krieg und Kriegs-Geschrey, oder Kriegs-Predigen, wieder die Keher; Und darum wird die Orthodoxie das Wort *ἀκούω* nicht vor das innere geistliche Gehör verstanden, wollen annehmen. So wollen wir denn sprechen, der Apostel rede in angezogenem Ort nicht von dem seligmachenden Glauben insgemein, welches die Orthodoxie, die den Kindlein den Glauben nicht abspricht, selbst gestehen muß; sondern praecise de fide qua explicata, wie sich derselbe in dem äussern Wort gründet, und wo er vom Geist Gottes in der Seelen angezündet ist, auch in ein äusserlich Wissen, Verstehen und Beyfall sich heraus lässet. So kömmt der Glaube aus der Predigt, die Predigt aber aus dem Wort Gottes. Welche Predigt aber nicht aus dem lebendigen Wort Gottes kömmt, aus derselben kömmt auch der Glaube nicht. *Ergo ex Ministerio orthodoxo, qua tali nulla fides saluifica.* In quibus tria notanda sunt: primum quidem, quod, Paulum in loco nostro de fide ex auditu verbi externe praedicati ortâ, loqui, proindeque hic translationem vocis *ἀκούω* per Predigt legitime se habere, concedatur; alterum, quod fidem saluificam in dicto nostro non quamlibet intelligi, sed eam tantum, quae praecise in externo Verbo fundata; ei, quae ab interno Spiritu sit, super-

perueniens & explicita notitia, intelligentiâ & assensu sese demonstrans, dicatur; *postremum*, quod ex praedicatione externa, quae ab Orthodoxo Ministerio, qua tali, fit, fidem saluificam oriri, negetur. Quantum igitur ad prius, tantum abest, vt in eo quidpiam desideremus, vt potius ex illô, coronidis quasi loco, argumentum aliquod *κατ' ἀποστολῶν* pro sinceritate versionis nostrae depromptum aliis Dippelii ceteroquin sociennis, vt, quanta cum iniuria hac in parte Germanicam Lutheri Bibliorum Versionem culpent ac impugnent, eo magis agnoscant, opponere nobis integrum sit. Duo posteriora verò, qua fieri poterit, breuitate, peculiariter considerari, conueniens operaeque pretium erit.

(a) Papismo Protestant. Vapul, Opp. p. 151.

§. XX.

Secundum etenim illud, velut interpretationem mentis suae Dippelius esse voluit, vt ne, cum veritatis vi & euidencia rei coactum, versionem Dicti nostri Lutheranam, quantum verba spectat, recte se habere, confiteri oportuit, fanaticae doctrinae de verbo interno homines docente derogare videretur. Largitur itaque, fidem eam, quae in externo verbo fundata, & explicita notitia atque assensu se exserit, ex praedicatione, praedicationem autem ex Verbo DEI esse. At vero, vel hypothetice tantum loquutus censendus est, si nimirum quae daretur fides ex verbo externo primum producta, quam tamen dari, nunquam concedet; vel de confirmatione duntaxat fidei a Verbo interno iamiam excitatae, ab externo Verbo hauriendam intelligit. Nam eum S. Scripturae spirituales in hominibus effectus & fidem operandi virtutem & efficaciam nullam plane relinquere, proptereaque non illuminandis ac conuertendis, sed illuminatis iam atque conuersis proponendam velle, compluribus ipsius ex Scriptis eius collectis assertis Summe Reuerendus DN. PRAESES (a) iam olim comprobauit. Et ea ipsa, quae circa Versionem Loci nostri Germanicam disputauit, ad internum verbum cuncta respiciunt, tanquam fidei causam, fontem ac originem, vt de intentione illius sensuque

fi que nullum superesse dubium possit. Sed, uti Dippelius concessit, vocem *anohs* in dicto nostro non incongrue verti per Predigt; ita nobis non aliam, quam externi verbi praedicationem, hic concipiendam esse, firmum remanet certissimumque. Interim tamen internum illud Fanaticorum verbum prolixè refutare, neque scopus noster exigit, neque Dissertationis mensura patitur, ut quod, propter amplitudinem materiae ac argumentorum vtrinque copiam, peculiarem sibi poscit tractationem, quam aliis hac vice relinquere, nobis impositam cernimus necessitatem.

(a) Compend. Mataeolog. Fanat. recent. Prolegom. Cap. III. Th. IX.
§. XXI.

Idem & de tertio dicendum erit. Redit enim res omnis ad virtutem & efficaciam Ministerii impiorum, quam cum Augustana Confessione (a) nos asserimus, Fanatici vero cum dudum refutatis Donatistis negant. Ex hac hypothese Dippelius scripsit: *Welche Predigt aber nicht aus dem lebendigen Wort Gottes kommt, aus derselben kommt auch der Glaube nicht.* Ergo ex ministerio orthodoxo, qua tali, nulla fides saluifica. Quos enim Orthodoxos qua tales vocat, pro impiis & carnalibus habet, adeo ut Orthodoxiam alicubi veteris Adami progeniem, (b) quin diabolicam doctrinam (c) blasphemè vocare non erubuerit. Quandoquidem vero Orthodoxorum nomine illi videntur, quicumque cum eo non consentiunt, nec errores fanaticos ac Indifferentissimos suos facere volunt, facile hinc colligitur, eò tendere illum, ut verbo ab impiis, non reuerà tantum, sed ipsius etiam ex opinione falsaue persuasione talibus, praedicato virtutem atque vim in animis hominum fidem producendi denegat omnem. Id namque volunt verba: *Ex ministerio orthodoxo, qua tali nulla fides saluifica.* Rationem praemittit, quia praedicatione ab Orthodoxo Ministerio quae fit, non est ex verbo DEI, viuo sc. illo, quod iuxta illum nonnisi internum toties iactatum verbum, cui verbum externum virtutem illam diuinam effectus in homine spirituales operandi conjunctam

junctam non habet, (d) sed littera mortua est (e). Quae autem omnia dudum ab aliis prolixè refutata solideque reiecta sunt, quemadmodum ex aduerso Ministerio impiorum, dummodo verbum DEI incorruptè praedicant, sua diuina virtus & efficacia abundè asserta est vindicataque, ut de iis heic verba facere superfluum futurum arbitremur, & tanto quidem magis, quanto remotiora haec a praesente nostro sunt scopo, qui fuit, Apologiam versionis Lutherano-Germanicae Loci nostri conscribere, vt euinceremus, B. Megalandrum Lutherum Dilectum Paulinum Rom. X. 17. germanice intentioni Spiritus S. & Apostoli scopo conformiter, adeoque rectè legitimeque transtulisse: So kommt der Glaube aus der Predigt, das Predigen aber durch das Wort Gottes.

(a) Art. IX.

(b) Schils der Wahrheit Cap. I. Opp. p. 1006.

(c) Gedanken über eines Schwedischen Theol. Bericht von Piet. p. 1053.

(d) Entdeck. falsch. Waas der Prüfung an Herrn D. Neussen. Opp. p. 503.

(e) Wein und Del Opp. p. 196. 212.

§. XXII.


Quod ergo dum hæcenus, quantum permisere vires, clare ac euidenter demonstrare studui, sine sic meo potitus: idcirco benignissimo DEO pro concesso meditati auxilio humillimas refero grates. Cui omnium bonorum largitori cum omnibus veris verae Ecclesiae membris, sublatis in coelum manibus, immortales agimus gratias pro nunquam sat digne euehendo hominibus concesso dono, luce illa, qua fides accenditur, fonte illo, ex quo solatium in nos efficacissimum promanat, thesauro illo terrenis omnibus praestantiore, verbo nimirum suo, ex afflatu Spiritus diuini a Prophetis ac Apostolis litteris consignato. Solius Ipsius ineffabili misericordiae debemus, quod pretiosissimum illud *νεπηλιον* mortalibus nobis, licet ingratis, adimere noluerit, sed clementissime potius conseruarit, ex densis Papatus tenebris, in quibus fere sepultum jacebat, eripuerit. Inexhaustae Ipsius gratiae debemus, quod Virum excitauerit, qui Anti-Christo *εις ηρώ*

ΕΛΕΥΘΕΡΟ

Et ire ausus, prodigia illius ferrea verbi diuini clauā con-
 fregit, prostrauit, perdidit; qui tam fideliter, eleganter, clare
 ac perspicue verbum diuinum in germanicam transtulit lin-
 guam, vt *Dauidem aliosque sanctos Prophetas tam liquide quoad*
verba loquentes audire queamus, acsi in lingua nostra patria nati
Et educati essent, (a) MARTINVM illum innuo LVTHERVVM,
 sanctum sanctissimi DEI organon, cuius nomen fit in benedi-
 ctione! Ardentissimas addimus preces, supplices DEum ve-
 nerantes, velit hoc suum verbum Ecclesiae nostrae, quin-
 suae, Lutheranō-Euangelicae purum semper & incorruptum
 superesse, hostibusque truculentissimis, impiis illis, quorum
 furori nostrum, proh! seculum expositum est, in verbum
 veritatis magno conatu saeuientibus, falsis Doctoribus ac lu-
 pis in indumentis ouium incedentibus, inhibere, sicque cor-
 da eorum flectere, vt, depulsis errorum tenebris, somnum
 peccati excutientes inuictum manere sanctissimum DEI ver-
 bum videant, experiantur, grataque tandem aliquando men-
 te agnoscant. *Serua nobis, benignissime Pater! Verbum tuum:*
fit nobis illud in gaudium Et laetitiam cordis nostri (b) Exaudi nos,
 Domine, veritatis fideique nostrae primus Auctor ac princi-
 palis causa! Sic erit Nomini Tuo laus honor & gloria in se-
 culafeculorum. Amen.

(a) His, inter alia, verbis GEORGIUS pie memoriae, Princeps
 Anhaltinus in Concione II. de falsis Prophetis A. 1550. Martis-
 burgi habita summum DEI beneficium, per Lutheri Versio-
 nem nobis concessum depraedicauit. Conf. B. MAYERI *Histor.*
Versionis Lutheri Cap. VII. §. 2. p. 75.

(b) Jer. XV. 16.



NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE
DN. STÜDEMANNO,

Disputationis hujus Auctori ac Respondenti
Dexterrimo ingenioque,

Fautori & Amico suo Jucundissimo,

S. P. P.

Fr. Alb. Æpinus.

UTprimùm in Tui notitiam, *Optime*
DN. STÜDEMANNE! venire mihi
contigit, ex quo tempore septennium,
si rectè recordor, jamjam integrum efflu-
xit, illicò virtutes tuas dotesque, queis
exornare Te Supremi Numinis gratiae placu-
it, non agnoscere solum, sed etiam admira-
ri ac æstimare, easque propter Te ipsum dili-
gere plurisque facere cecepi. Mature quippe
prodèbas, quid eximia, qua flores, indoles
Publico promitteret, qualemque de Te spem
concipere possent omnes. Quod si Tuam,
qua Prælectiones meas frequentare, ceteraque
tua tractare Studia solebas, sedulitatem in
memoriam mihi revoco, tantam eam exper-
tus nunquam non sum, quanta solet esse
diligentissimorum. Nec ullum reliquorum
Præceptorum tuorum hanc Tibi laudem
G dene-


denegaturum esse, persuasus, imò convictus
sum, siquidem, omnibus viribus eò Tibi con-
nitendum, rectè benèque ducebas, ut Eccle-
siæ olim inservire, proximo prodesse, patriæ
ornamentum conciliare, Publicoque bono
commodum afferre valeres. Cujus industriae
tuæ non fructus solùm, sed simul etiam te-
stimonium est, præsens hæc Disputatio tua,
cujus ut non simulatus, sed verus ac certus
Auctor es ipse, memet non nisi thema illius
commendante, ac unum alterumve, quod
ad illustrationem rei majorem faceret, argu-
mentum suppeditante; sic & ejusdem defen-
sorem felicissimum promptissimumque futu-
rum esse, non ominor, sed auguror, certâ-
que mentis persuasione promittere me posse,
confido. Quocirca Summum cunctaque di-
rigens Numen veneror, ut tam huic speci-
mini, quam reliquis conatibus tuis omnibus,
quos, pro indolis tuæ bonitate, nonnisi bo-
nos fore, conjicio, coelestem suam gratiam
adspiret, ac benedictionem desuper affundat
largissimam, tandemque Te, cum providen-
tiæ Ipsius sapientissimæ visum, Ministrum Ec-
clesiæ, tam utilem, quam dignum, faxit. Scr.
Rostochii d. 30. Jun. Anno MDCCXXXII.


✻ (o) ✻

ad 17.

99 A 6960

2110





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

a. 8 70

Q. D. B. V.

APOLOGIA

PRO GENVINA LEGITIMAQVE

B. D. LUTHERI

VERSIONE GERMANICA

DICTI PAVLINI Rom. X, 17.

So kommt der Glaube aus der Predigt,
das Predigen aber durch das Wort Gottes;

DISPUTATIONE THEOLOGICA
CIRCVLARI,

CONSENSV SVMMÆ REV. FACVLTATIS THEOLOGICÆ;

SVB PRAESIDIO

FRANC. ALB. AEPINI,

S. S. THEOL. D. ET. PROF. DVICAL. PVBL.

DIE V. JVLII ANNO MDCCXXXII.

ad ventilationem publicam

propositurus est

AUCTOR ET RESPONDENS,

CHRISTOPH. GOTTLIEB

STÜDEMANN,

Rostochiensis, S. S. Theol. Stud.

R O S T O C H I I,

Typis IO, IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr